


FIDELIS ELIZONDO, OFM. CAP.

**DE PRAECEPTIS AEQUIPOLLENTIBUS
IN REGULA FRANCISCANA**

Extractum ex Commentario LAURENTIANUM, 8 (1967) 281-348

Directio et Administratio: Via Sicilia, 159 - 00187 Roma



M. R. P. Melchor
de Poblador, en
su calidad de
autor de la
administración

**DE PRAECEPTIS AEQUIPOLLENTIBUS
IN REGULA FRANCISCANA (*)**

FIDELIS ELIZONDO, OFM. CAP.

Iam ab ordinis franciscalis exordio admissum est aliqua regulae mandata esse praecepta sub gravi obligantia. Hoc principium, a primis regulae commentatoribus, scilicet, a sic dictis quatuor magistris, iam receptum, ad nostra usque tempora fuit validum, utpote quod a romanis pontificibus, ab ordinis legislatione et ab omnibus fere regulae commentatoribus qui a saeculo XIII ad saeculum XX scripserunt, fuerit assertum (1).

* In hac elucidatione sequentes adhibemus abbreviaciones:

AFH = *Archivum franciscanum historicum*.

ALKG = *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte*.

ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio* = ANTONIUS DE CORDUBA, OFM., *Expositio evangelicae regulae seraphici patris sancti Francisci*, Venetiis 1610.

BF = *Bullarium franciscanum*, 7 vol., Romae 1759-1904.

EUBEL, *Epitome* = C. EUBEL, OFM., *Conv., Bullarii franciscani epitome*, Ad Claras Aquas 1908.

Exiit = NICOLAUS III, *Exiit qui seminat* (14 aug. 1279), in *Seraphicae legislationis textus originales*, Ad Claras Aquas 1897, p. 181-227.

Exivi = CLEMENS V, *Exivi de paradiso* (6 mai 1312), in *Seraphicae legislationis textus originales*, p. 229-260.

Firmamentum = *Speculum minorum seu Firmamentum trium ordinum*, [Venetiis 1513].

GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis* (ed. *Firmamentum trium ordinum*, pars III, fol. 70vb-72ra).

Regula = S. FRANCISCUS, *Regula II fratrum minorum* (ed. *Opuscula sancti patris Francisci assisiensis*, ed. 3, Ad Claras Aquas 1949, p. 63-74).

Relatio commissionis = G. FUSSENEGGER, OFM., *Relatio commissionis in concilio viennensi institutae ad decretalem « Exivi de paradiso » praeparandam*, in AFH 50 (1957) 145-177 (editio textus: 158-176).

(1) Cf. nostras elucidationes: *Origen de la obligatoriedad de la regla franciscana*, Roma 1956; *De evangelii et regulae franciscanae obligatione usque ad*

Quaenam vero sunt mandata a regula sub gravi praescripta? De hoc argumento maxime disceptatum est a scriptoribus saeculi XIII et ineuntis XIV. Postea vero, promulgata bulla *Exivi de paradiso* (6 mai 1312) Clementis V, materia praeceptorum generaliter est admissa, etsi de eorundem numero in ea contenta non leviter disputaretur (2).

Profecto, decretalis Clementis V lineam constituit divisoriam hac in re, utpote in qua memorentur praecepta minus clara in legislatione recensita. Ab eiusdem promulgatione auctores asserunt in regula contineri tres praeceptorum species, scilicet, praecepta *expressa* seu eminentia seu formalia, praecepta *virtualia* seu mandata vim praecepti habentia, et praecepta *aequipollentia* seu mandata quae aequipollent praeceptis. Haec praeceptorum divisio auctoritative a Clemente V sancita est, cum in bulla loquatur de quibusdam quae in legislatione *expresse* sub verbo praecepti ponuntur (3), de quibusdam quae in ea obtinent *vim praecepti* (4), de quibusdam vero quae debent censi ut praeceptis *aequipollentia* (5).

Ideo, primus regulae commentator post bullam *Exivi de paradiso*, ipsemet minister generalis Gundisalvus Hispanus, qui immediate scripsit, aperte loquitur de praeceptis *expressis* seu *eminentibus*, de iis quae sunt *aequipollentia* praeceptis et de iis quae habent *vim praecepti* (6). Hic tractatus, in quo prima vice enumerantur singillatim omnia sub gravi in regula obligantia, permagnum exercuit

bullam « *Exivi de paradiso* » Clementis V (6 mai 1312), in *Laurentianum* 2 (1961) 226-260; HILARIUS A WINGENE, OFM. Cap., *Sancti Francisci fundatoris « spiritus propriaeque proposita »*, in *Laurentianum* 7 (1966) 359-381.

(2) Cf. F. ELIZONDO, *De praeceptorum numero in regula fratrum minorum disquisitio historica*, in *Collectanea franciscana* 37 (1967) 250-285.

(3) *Exivi de paradiso*, a. 3, n. 1, p. 235.

(4) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 238.

(5) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 237.

(6) GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis*. In hac collectione, titulus opusculi sic inscribitur: « Tractatus utilis de praeceptis eminentibus in regula, de aequipollentibus praeceptis et de habentibus vim praecepti et de aliis in ipsa regula contentis ». De auctore et opusculi editionibus vide nostram elucubrationem *Doctrinales regulae franciscanae expositiones usque ad annum 1517*, in *Laurentianum* 2 (1961) 480s., cum bibliographia ibidem recensita.

influxum, ita ut possimus asserere eum prae oculis fuisse primis commentatoribus, qui de argumento scripserunt.

Iamvero, quamvis Gundisalvus Hispanus, Clementem V secutus, non loquatur de praeceptis virtualibus et aequipollentibus, sed de praeceptis expressis seu eminentibus (7), de iis quae non sunt praecepta formaliter sed praeceptis aequipollentia (8), de iis quae non sunt praecepta nec praeceptis aequipollentia, sed habent vim praecepti (9), nihilo secius mandata quae sub gravi in regula imponuntur generaliter appellata sunt simpliciter *praecepta*, utique in tres species divisa: eminentia seu expressa, virtualia et aequipollentia.

Nos tantum de praeceptis sic vocatis aequipollentibus agemus, loquentes de eorundem numero et obligatione.

I. — De praeceptorum aequipollentium numero

Praecepta aequipollentia explicite et singillatim a Clemente V enumerata sunt his verbis:

« Ut autem haec, quae videri possunt aequipollentia praeceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiae de qua agitur, seu ex utroque, sub compendio habeantur, declaramus quod illud quod ponitur in Regula:

(7) « Primo, in regula sunt quaedam quae sub nomine praecepti sunt expressa et eminentia; et illa vocantur praecepta, quorum observantia est necessaria et transgressio est mortalis » (GUNDISALVUS HISPANUS, *op. cit.*, fol. 71ra).

(8) « Secundo, in regula sunt quaedam alia quae non sunt praecepta formaliter, sed tamen sunt praeceptis aequipollentia, et de talibus sunt in regula numero XII, quae papa Clemens in regulae declaratione de ipsa regula collegit, ponderat et numerat, quorum transgressio sine dubio est mortalis » (*Ibid.*, fol. 71rab).

(9) « Tertio, in regula sunt quaedam alia quae non sunt praecepta nec praeceptis aequipollentia, sed tamen habent vim praecepti, ut ubicumque in regula ponitur hoc vocabulum *teneantur* habet vim praecepti et servari debet a fratribus ut tale, quia transgressio est mortalis, secundum quod dicit idem Clemens papa in regulae declaratione » (*Ibid.*, fol. 71rb).

De non habendo plures tunicas quam unam cum capucio, et aliam sine capucio;

item, de non portandis calceamentis, et de non equitando extra casum necessitatis;

item, quod Fratres vilibus induantur;

item, quod ieiunare a festo omnium Sanctorum usque ad Natale Domini et in sextis feriis teneantur;

item, quod Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae;

item, quod Ministri et Custodes pro necessitatibus infirmorum et Fratribus induendis sollicite curam gerant;

item, quod si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire;

item, quod Fratres non praedicent in episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum;

item, quod nullus audeat penitus populo praedicare, nisi a generali Ministro, vel aliis quibus secundum declarationem praedictam (10) id competit, fuerit examinatus, approbatus et ad hoc institutus;

item, quod Fratres qui cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, debeant et possint ad suos Ministros recurrere;

item, omnia quae ponuntur in Regula, ad formam habitus tam novitiorum quam etiam professorum, nec non et ad modum receptionis, ad professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum, sicut dicit Regula, secundum Deum aliter videatur: haec, inquam, omnia sunt a Fratribus tanquam obligatoria observanda;

Item, Ordo communiter sensit, tenet et tenuit ab antiquo quod ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum *teneantur*, obtinet vim praecepti, et servari debet a Fratribus sicut tale » (11).

I. — DE PRAECEPTORUM DIVISIONE

Si attente legantur initium et finis verborum transcriptorum et intime consideretur doctrina bullae *Exivi* de mandatis fratres obligantibus, videtur Clemens V, de praeceptis aequipollentibus loquens,

(10) Id est, *Exiit qui seminat*, Nicolai III, a. 17, n. 2, p. 216s.

(11) *Exivi de paradiso*, a. 3, n. 2, p. 237s.

sese referre non tantum ad praecepta aequipollentia post decretalem ab ordine semper admissa, sed etiam ad praecepta sic dicta virtualia.

Etenim, romanus pontifex aperte asserit fratres minores, praeter vota religiosa, ad alia contenta in regula sub gravi obligari, scilicet, ad praecepta et ad alia quae sunt eisdem aequipollentia (12); praeter ea quae specificantur sub verbo praecepti, nonnulla ponuntur simpliciter sub verbo modi imperativi, ita ut ea de causa dubitent fratres utrum ad ea teneantur « ut ad habentia vim praecepti » (13); sed dicendum fratres non obligari ad omnia contenta in regula modo imperativo ac si fuerint praecepta aut praeceptis aequipollentia, sed expedit quod se noverint obligatos ad ea quae inferius annotantur « sicut ad aequipollentia praeceptis » (14). Et sequitur: « Ut autem haec, quae videri possunt aequipollentia praeceptis... sub compendio habeantur, declaramus... » (cf. supra textus transcriptionem) (15). Ultima clausula textus transcripti incipit verbo *item*, ut omnes aliae.

Videtur Clemens V loqui tantum de duabus materiis obligatoriis, scilicet, de praeceptis expressis et de iis quae eisdem aequipollent, inter quae recensentur ea quae hodie praecepta aequipollentia vocamus et ea quae vim praecepti habent. Editores quaraccenses hunc cogitandi modum sequuntur, cum secundum bullae articulum inscribunt *De praeceptis regulae*, tertium vero, *De iis quae aequipollent praecepto* (16).

Sed ex alia parte, enumeratio clementina eorum quae aequipollent praecepto videtur finiri clausula « haec, inquam, omnia sunt a Fratribus tanquam obligatoria observanda », quae legitur ante ultimam clausulam, eam, scilicet, quae de mandatis vim habentibus seu virtualibus loquitur, quaeque sub verbo *teneantur* imponuntur. Prae-

(12) *Exivi*, a. 2, n. 18., p. 234s.

(13) *Exivi*, a. 3, n. 1, p. 235s.

(14) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 236s.

(15) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 237.

(16) *Exivi*, p. 234s.

terea, romanus pontifex, de his ultimis tantum agens, ordinis traditionem invocat (17).

Cum regulae commentatores omnium saeculorum non de duabus, sed de tribus praeceptorum speciebus, immo, cum hoc admissum sit etiam in textibus legalibus, videtur prudenter non recedendum esse ab hac pacifica rei possessione. Ideo etiam nos agimus tantum de praeceptis sic dictis aequipollentibus; non vero, de praeceptis virtutibus seu vim habentibus.

2. — DE PRAECEPTORUM AEQUIPOLLENTIUM NUMERO RITE STABILIBENDO

Quoad numerum praeceptorum aequipollentium, Clemens V loquitur expresse et hoc ordine:

- 1) de tunicarum numero (18);
- 2) de non portandis calceamentis (19);
- 3) de non equitando;
- 4) de vestimentis vilibus portandis (20);
- 5) de ieiunio a festo omnium sanctorum usque ad nativitatem Domini et in sextis feriis (21);
- 6) de divino officio a clericis recitando secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae;
- 7) de sollicita ministrorum et custodum cura in necessitatibus fratrum infirmorum et pro fratribus induendis;
- 8) de accurata erga infirmos sollicitudine;

(17) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 238. Romani pontifices saec. XIII verbis generatioribus usi sunt: fratres minores tantum obligantur ad ea quae in regula « preceptorie vel inhibitorie sunt expressa » (GREGORIUS IX, *Quo elongati*, [28 sept. 1230], ed. H. GRUNDMANN, in AFH 54 [1961] 21); idem tenet Innocentius IV in bulla *Ordinem vestrum* [14 nov. 1245], ed. EUBEL, *Epitome*, p. 238a). Nicolaus III rem aliquantulum illuminat: fratres minores obligantur tantum ad illa consilia evangelica « quae in ipsa Regula preceptorie vel inhibitorie seu sub diversis aequipollentibus exprimentur » (*Exiit qui seminat*, a. 1, n. 3, p. 189).

(18) Cf. *Exivi*, a. 5, n. 1, p. 241.

(19) Cf. *Exivi*, a. 5, n. 3, p. 242.

(20) Cf. *Exivi*, a. 5, n. 18., p. 241s.

(21) Cf. *Exivi*, a. 6, p. 242s.

- 9) de praedicatione non facienda, episcopo contradicente;
 10) de contionatorum examinatione, approbatione et institutione (22);
 11) de regulae spirituali observatione;
 12) de habitu fratrum et de receptionis et professionis modo (23).

Igitur Clemens V agit de *duodecim* quaestionibus omnino praecisus, una excepta, scilicet, ea quae sub numero 12 recensetur. Hic numerus duodenarius expresse a Gundisalvo Hispano accipitur (24) et saeculo XVII ab Antonio a Corduba, OFM. (25), et per eos ad fere omnes commentatores pervenit, ita ut numerus duodenarius remanserit quasi sacer in hoc argumento, quamvis aliqui auctores, imprimis duodecimum praeceptum specificantes, numerum auxerint (26).

Quoad existentiam tamen quorundam horum praeceptorum *ex regula* videtur dubitandum esse, non quia fratres sint liberi ab eorundem observantia, sed quia titulus obligationis non ex legislatione particulari, sed ex iure naturali aut ecclesiastico iam fratres eisdem teneantur. Etenim apprime distinguenda sunt mandata quae ex regula religiosi imponuntur, a praescriptis quae aliunde eos obligant et legislationes particulares tantum memorant. Quomodo hoc cognoscatur, non semper negotium facile evadit; sed principium est admittendum (27).

(22) Clemens V remittit ad bullam *Exiit qui seminat* Nicolai III, a. 17, n. 2, p. 216s.

(23) Cf. *Exivi*, a. 4, p. 239ss.

(24) GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis*, fol. 71rab.

(25) ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio evangelicae regulae*, Venetiis 1610, c. 1, q. 1, p. 43s.

(26) Cf. nostram elucidationem *De praeceptorum numero in regula fratrum minorum disquisitio historica*, in *Collectanea franciscana* 37 (1967) 250-285.

(27) Cf., v. gr., MATTHAEUS CONTE A CORONATA, OFM. Cap., *Institutiones iuris canonici*, vol. I, ed. 3, [1947], n. 627, p. 817; G. MICHIELS, OFM. Cap., *Normae generales iuris canonici*, vol. II, ed. 2, Parisiis-Tornaci-Romae 1949, p. 735, in nota 3; M. MOSTAZA, S.I., *Ayunos y abstinencias de los religiosos en España*, en *Cuestiones canónicas*, vol. II, Santander 1928, n. 635, p. 675. Cf. nostram elucidationem *Ayunos de los religiosos después de la promulgación del código*, in *Revista española de derecho canónico* 8 (1953) 453-473.

Nos vero iudicamus in regula franciscana suppressenda esse, ut praecepta particularia, omnia quae iam a iure divino vel a iure ecclesiastico saeculi XIII sunt praescripta, donec contrarium probetur. Haec mandata, a regula memorata, momentum habent in determinanda spiritualitate franciscana, intimum enim sancti Francisci desiderium pandunt circa argumenta eidem gratiora.

Hoc suffulti principio, de quinque saltem praeceptis aequipollentibus surgit quaestio: 1) de sollicita ministrorum cura in fratrum infirmorum necessitatibus et pro fratribus induendis; 2) de fratrum infirmorum accurata sollicitudine; 3) de clericorum officii recitatione; 4) de fratrum praedicatione, episcopo contradicente; 5) de religiosorum admissione.

Primum praeceptum est iuris naturalis, omnibus superioribus omnium religionum obligatorium, a seraphico patre in regula memoratum in capite quarto legislationis, post omnimodam pecuniae prohibitionem, ita ut clare videantur et sublimis franciscalis paupertas et sollicita fratrum cura. Idem dicendum est de secundo praecepto, de superiorum accurata sollicitudine, a iure naturali omnibus religiosis omnium religionum in materia gravi sub gravi obliganti, et a regula in capite sexto memorato. In hoc capite, sanctus Franciscus loquitur de altissima paupertate, scilicet, de omnimoda expropriatione, ita ut, si fratres nihil habeant, de nihilo curent, pecuniam non recipiant, tamen, Christi caritate, ad infirmos sublevandos mediorum humanorum defectui fratres suppleant. De praecepto circa clericorum officium, Ubertinus a Casale, ante bullam *Exivi de paradiso* scribens, asserit recitationem divini officii praecepto aequipollere « ratione communis observationis » (28). Relatio commissionis ad decretalem praeparandam silet omnino de hac materia, sic implicite declarans mandatum speciale de clericorum officio in regula non dari, nam doctores commissionis in capite tertio tantum agunt de ieiunio. Dicunt, enim: « Et infra capitulo III: *Clerici faciant divinum officium*

(28) UBERTINUS A CASALE, *Super tribus sceleribus* (ed. A. HEYSSE, OFM., *Ubertini de Casali opusculum « Super tribus sceleribus »*, in AFH 10 [1917] 103-174) p. 134.

secundum etc. *Usque ad Nativitatem Domini ieiunent; aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare.* Hic indici credimus fratribus sub precepto ieiunium quadragesimale et sexte ferie » (29). Clemens V vero officium clericorum inter regulae praecepta memorat (30), et ut praeceptum speciale forsitan potest accipi non in quantum recitationem praescribat, ab omnibus clericis iam faciendam (31), sed in quantum statuatur eam dici debere « secundum ordinem sanctae romanae Ecclesiae » (32).

Praeceptum de praedicationis prohibitione, a regula, ut videtur, potius memoratum quam impositum, saeculo XIII constituebat ius ecclesiae commune; sed non sunt oblivioni danda specialia super argumento privilegia a franciscanis acquisita (33). Postremo, in numero duodecimo praeceptorum aequipollentium habentur aliqua quae iam ex alio fonte praescribebantur et quae a seraphico patre potius memorantur, ut, exempli gratia, annus noviciatus, ex bulla Honorii III, *Cum secundum consilium* (22 sept. 1220), ab ipsa legislatione explicitamente memorata (34).

Ideo, si haec omnia accurate examinemus, caute debemus loqui de *duodenario* numero praeceptorum aequipollentium, etsi a Clemente V recolantur ut mandata obligatoria, quaeque his in casibus certa sunt; num vero a regula praescripta an tantum memorata sint alia omnino est quaestio (35).

(29) *Relatio commissionis*, p. 161.

(30) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 237.

(31) Sanctus Franciscus ait: « Officium dicebamus clerici secundum alios clericos, laici dicebant Pater noster » (*Testamentum*, p. 79).

(32) Sanctus Franciscus advertit: « Et qui inventi essent, qui non facerent officium secundum regulam... » (*Testamentum*, p. 81). Cf. K. ESSER, OFM., *Melius catholice observemus*, in *Werkbuch zur Regel des heiligen Franziskus*, Werl in Westf. 1955, c. 3, p. 159-162.

(33) Cf. B. MATHIS, OFM. Cap., *Die Privilegien des Franziskanerordens bis zum Konzil von Vienne (1312)*, Paderborn 1928; K. ESSER, *op. cit.*, c. 9, p. 218-225.

(34) HONORIUS III, *Cum secundum consilium* (22 sept. 1220), in *Bullarium franciscanum* I, p. 6ab.

(35) Ad rem celeberrimus L. Miranda: « No me pareció venía mal sino antes bien el hacer lo que pretendo en este capítulo, que es mostrar cómo de todos los veinte y cinco preceptos y cosas que en nuestra regla son obligatorias, solas cinco o

3. — DE PRAECEPTORUM AEQUIPOLLENTIUM NUMERO NON AUGMENTANDO

Animadvertendum est praecepta aequipollentia esse tantum ea quae a Clemente V explicite sunt recensita; non alia. Etenim, iam primus regulae commentator, immediate post bullam *Exivi de paradiso* scribens, scilicet, Gundisalvus Hispanus, modificat doctrinam Clementis V circa ieiunia regularia et officium a laicis recitandum; et hoc multa cum cautela perpendendum est.

a) *Officium a laicis recitandum*

Circa officium laicorum tum regula I, tum regula II (36), iuxta illius temporis mentalitatem (37), proponunt recitationem quorundam Pater noster. Commissio peritorum ad praeparandam bullam *Exivi* silet de praecepto officii tam clericorum quam laicorum, etsi rem generaliter sed explicite sibi proponant (38). Clemens V explicite, ultra commissionis consilium, memorat clericorum officium et silet omnino de praecepto officii laicorum (39). Gundisalvus Hispanus vero coniungit praeceptum officii laicorum praecepto officii cle-

seis para nosotros son particulares y se pueden llamar propias obligaciones de nuestra religión y de nuestra regla. Cuales son el no tener propios ni rentas en común ni en particular, no recibir dineros ni pecunia por sí ni por interpuesta persona, no traer calzado sin necesidad, el andar a pie pudiendo y el no traer más de un hábito y una túnica, si no es con necesidad y licencia del prelado, y lo que toca al ayuno del adviento y los viernes de todo el año. Estas son nuestras particulares obligatorias y las cosas que particularmente nos obligan por la virtud y fuerza de nuestra regla, porque todas las demás son cosas a las cuales estábamos obligados por otro camino y lo están todos los otros religiosos de todas las otras órdenes y religiones por razón de su estado y profesión o por derecho positivo, divino o natural » (L. MIRANDA, OFM., *Exposición de la regla de los frailes menores*, Salamanca 1609, c. 27, p. 166).

(36) *Regula I*, c. 3, p. 28; *Regula II*, c. 3, p. 66.

(37) Cf. L. OLIGER, OFM., *Expositio quatuor magistrorum super regulam fratrum minorum*, Roma 1950, appendix, p. 178.

(38) *Relatio commissionis*, p. 161.

(39) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 237.

ricorum (40). Ioannes de Argomanes, OFM., in celeberrimo opusculo *Speculum fratrum minorum* nuncupato, etiam aperte asserit officium laicorum esse praeceptum aequipollens, id extendens etiam ad recitationem orationis angelicae (41). Antonius a Corduba, OFM., non admittit sententiam Ioannis de Argomanes de recitatione orationis angelicae; sed explicitè docet praeceptum esse recitationem Pater noster, his argumentis suffultus: 1) iam ab ordinis primordiis hoc admittebatur, et consuetudo est optima legum interpres; 2) auctoritate apostolica id declaravit minister generalis Franciscus de Angelis (Quiñones), in quadam epistola ad patres Hispaniae missa, anno 1523; 3) Clemens V non expressit omnia quae in praeceptis aequipollentibus continebantur, uti potest comprobari in praeceptis de sollicitudine ministrorum pro fratribus infirmis et induendis (in capite quarto), de cura erga infirmos, et in aliis locis (42).

(40) Gundisalvus, enumerans praecepta aequipollentia, ait: « Quartum est quod clerici faciunt divinum officium secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae, excepto psalterio, ex quo etc. *Et laici dicant XXIV Pater noster pro matutinis, pro laudibus V; pro prima, III, VI, IX [tertia, sexta, nona] VII, etc.* » (*Tractatus de praeceptis*, fol. 71rb).

(41) Enumerans regulae praecepta ait: « Tredecimo, quod clerici faciunt divinum officium secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae, et laici dicant tot *Pater noster et Ave Maria*. Equipollens » (IOANNES DE ARGOMANES, OFM., *Speculum fratrum minorum* [ed. *Enchiridion seu Manuale fratrum minorum*, [Hispani 1535], fol. 30r-50v] fol. XXXIr. De hoc singulari opere asserit L. Miranda: « No puedo dejar de referir y hacer muy particular mención de otra exposición muy docta y curiosa que hizo el padre fr. Juan de Argomanes, provincial que fue de esta nuestra provincia de Santiago, intitulada *Speculum fratrum minorum* y así cuando le alegan le llaman el autor del *Speculo* y realmente lo es: espejo lucidísimo donde se debrían mirar y remirar todos los religiosos de nuestra orden » (L. MIRANDA, *Exposición de la regla de los frailes menores*, ed. 2, Salamanda 1622, c. 14, n. 19, p. 89).

(42) « Et quamvis aliqui dicant quod laicis nil imponitur obligatorie per regulam ut recitent, ex quo Clemens V ubi supra nil dixit de officio laicorum, sed de divino officio clericorum, et de regula non imponit verbum (*teneantur*) neque aliud per quod constet esse obligatorium laicis tamen quia iam sic a principio ordinis aestimatur communiter, et consuetudo optima interpres legum, sicut habet pro obligatorio. Ideo tenendum est esse obligatorium laicis dicere tot *Pater noster*, ut dictum est: maxime quia auctoritate apostolica sic declaravit reverendissimus pater F. Franciscus de Angel., minister generalis ordinis in quadam sua epistola

Auctores saeculorum XVII-XIX, Antonium a Corduba explicitae vel implicite sequentes, eandem tenent sententiam (43). Ludovicus a Parisiis, OFM. Cap., asserit laicos officio teneri non per praeceptum expressum aut virtuale aut aequipollens, nam Clemens V de hoc silet, nisi velimus dicere hoc comprehensum esse sub praescripto officii clericorum a romano pontifice recensito; et, si haec ratio non probat, tunc argumentum habemus in ordinis traditione, nam sic ordo semper tenuit, consuetudo declaravit, et expositores confirmarunt (44). Sanctes a Roma, OFM. Cap., admittit praeceptum recitandi officii laicorum: 1) quia sanctus Franciscus vult quod et clerici et laici dicant orationem publicam; clerici recitant sub praecepto (iuxta Clementem V) officium divinum; sic etiam

ad partes Hispaniae missa, anno Domini 1523, nam non omnia expressit Clemens V quae in aequipollentibus continebantur » (ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio*, c. 3, q. 1, p. 150; vide etiam c. 1, q. 1, p. 43).

(43) E. gr., L. MIRANDA, *Exposición de la regla de los frailes menores*, ed. 2, Salamanca 1622, c. 43, p. 287; F. LUENGO, OFM., *Controversiae viginti quinque super regulam fratrum minorum*, Compluti 1642, c. 3, controversia 8, sectio 5, n. 1-4, p. 179b-180b; ANTONINO DA PATTI, OFM., *Considerationi et espositioni sopra tutti li precetti della regola de' frati minori*, Venetia 1615, c. 3, n. 29ss., p. 242ss.; P. MARCHANT, OFM., *Expositio literalis in regulam S. Francisci*, Antuerpiae 1631, c. 3, tit. II, q. 1, p. 167s.; S. PICOT, OFM., *La règle de S. François*, Marseille 1704, pars I, c. 3, p. 70; VALERIO DO SACRAMENTO, OFM., *Thesouro seraphico*, Coimbra 1735, pars II, a. 3, q. 1, p. 90s.; FILIPPO DA CASTELLUCCIO, OFM., *Dichiarazione letterale e morale de' precetti che si contengono nella regola de' frati minori di S. Francesco*, vol. II, Bologna 1759, quartum praeceptum, a. 18s., p. 164-168; S. BARTOLUCCI, OFM. Conv., *Minoritica fratrum conventualium*, Perusiae 1615, liber 2, c. 3, p. 141s.; HIERONYMUS A POLITIO, OFM. Cap., *Expositio... in regulam seraphici patriarchae S. Francisci*, Neapoli 1606, c. 3, p. 281s.; CYPRIANUS CROUSERS AB ANTUERPIA, OFM. Cap., *Lectiones paraeneticæ ad regulam seraphici patris S. Francisci*, Coloniae Agrippinae 1625, c. 3, lect. par. 1, p. 149; LEANDRO DE MURCIA, OFM. Cap., *Questiones selectas regulares y exposición sobre la regla de los frailes menores*, Madrid 1645, cap. 1 super cap. 3 regulae, p. 159a; BERNARDO DA BOLOGNA, OFM. Cap., *Lezioni sopra la regola dei frati minori di S. Francesco*, Bologna 1764, c. 3, lect. 8, § 5, p. 96ab; VIATORE DA COCCAGLIO, OFM. Cap., *Tracce di tradizione sopra la regola de' frati minori*, Venezia 1780, c. 3, sposizione 1, p. 73b-74a; SAMUELE DA LODI, OFM. Cap., *Esposizione asceticomorale della regola minoritana*, Piacenza 1856, c. 3, a. 1, p. 190.

(44) LOUIS DE PARIS, OFM. Cap., *Exposition littérale de la règle des FF. Mineurs*, ed. 2, Paris 1623, c. 3, p. 185s.

et laici; etenim clerici et laici omnium religionum sunt Dei servitio mancipati et, ut tales, sunt adstricti ad recitandam aliquam orationem publicam pro ecclesiae necessitate; itaque, sicut sanctus Franciscus non utitur verbis praeceptivis ad praescribendam quadragesimam maiorem, seu ante Pascha, cum iam ab ecclesia statuta esset, sic non utitur verbis praeceptivis cum de officio laicorum agit, quia sufficiens erat lex communis cogens eos ad orandum; silentium Clementis explicatur hoc modo: officium laicorum in officio clericorum est comprehensum; 2) praeterea, laici sunt officio adstricti ex consuetudine, quia iam ab ordinis initio omnes affirmarunt hoc praeceptum; propterea id enumeratur inter praecepta a Gundisalvo Hispano, ab auctore operis *Speculum fratrum minorum* nuncupati (Ioanne de Argomanes), ab Antonio a Corduba et aliis (45). Auctores hodierni generaliter et simpliciter admittunt hoc praeceptum (46). Alexander a Ripabottoni, qui circa fratres laicos speciale instituit studium, agens de argumento, admittit etiam doctorum sententiam (47).

Quid dicendum? Argumenta ab Antonio a Corduba allata, et a reliquis auctoribus plus minusve repetita, nihil probant. Etenim non possumus admittere de hoc argumento ordinis traditionem, cum non sufficiat probare omnes aestimasse fratres laicos ad recitationem officii esse obligatos (quod patet ex regula), sed an sub praecepto gravi (quod probandum est et non probatur).

(45) SANTI THESAURO ROMANO, OFM. Cap., *Esposizione sopra la regola del serafico padre S. Francesco*, Roma 1614, c. 3, p. 153ss.

(46) V. gr., ALBERTUS A BULSANO, OFM. Cap., *Expositio regulae FF. Minorum*, Mediolani 1889, c. 3, § 41, p. 140s.; *Ibid.*, Romae 1932, c. 3, n. 161, p. 244s.; GEORGES DE VILLEFRANCHE, OFM. Cap., *Exposition de la règle des frères mineurs*, Toulouse 1893, c. 3, n. 103, p. 97s.; I. TRIENEKENS, OFM., *Expositio canonico-moralis regulae fratrum minorum*, ed. 4, Mechliniae 1948, pars II, c. 3, n. 202, p. 122s.; K. KAZENBERGER, OFM. - A. IGLESIAS, OFM., *Liber vitae seu regulae S. Francisci expositio*, ed. 3, Romae 1954, c. 3, q. 2, p. 96s.; THOMAS VILLANOVA GERSTER AUS ZEIL, OFM. Cap., *Regel des ersten Ordens vom heiligen Franziskus*, ed. 5, [1940], c. 3, p. 102s.; BERNARDINO DA SIENA, OFM. Cap., *Esposizione della regola francescana*, ed. 2, Roma 1959, c. 3, n. 349, p. 224.

(47) ALESSANDRO DA RIPABOTTONI, OFM. Cap., *I fratelli laici nel primo ordine francescano*, Roma 1956, p. 278ss.

Profecto, expositores anteclementini, ut Quatuor magistri, Hugo de Digna, sanctus Bonaventura, Ioannes Valensis, Ioannes Pecham, Petrus Ioannes Olivi, ne verbum quidem de officio laicorum faciunt (ut Quatuor magistri, Hugo de Digna, Ioannes Valensis, Ioannes Pecham) (48), vel saltem nihil dicunt clare de *praecepto* (ut sanctus Bonaventura et Petrus Ioannes Olivi) (49). Statuta generalia saeculo XIII promulgata silent omnino etiam de officio laicorum (50).

Immo, si de argumento locuti fuerint adhuc remaneret quaestio intacta quoad ordinis traditionem anteclementinam, cum romanus pontifex hanc consuetudinem non admiserit in praeceptorum enumeratione.

Aliqui vero expositores postclementini, qui ante saeculum XVI scripserunt, aut non memorant hanc materiam (51) aut, admittentes explicite praeceptum officii a clericis recitandi, non loquuntur de praecepto laicorum, etsi de eorum officio agant. Exemplum typicum nobis offert Bartholomaeus a Pisis, qui, praeceptum clericorum ex declaratione clementina affirmans, ne verbum quidem dicit

(48) QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. L. OLIGER, OFM., Roma 1950) c. 3, p. 137s.; HUGO DE DIGNA, *Expositio regulae fratrum minorum* (ed. Firmamentum, pars III) c. 3, fol. 37rb; IOANNES VALENSIS, *Declaratio super regulam* (ed. Firmamentum, pars III), c. 3, fol. 101ra; IOANNES PECHAM, *Declaratio super regulam fratrum minorum* (ed. Firmamentum, pars III) c. 3, fol. 75vb (ed. A.G. LITTLE, Aberdoniae 1910, p. 49).

(49) S. BONAVENTURA, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. *Opera omnia*, vol. VIII, Ad Claras Aquas 1898) c. 3, n. 1-6, p. 407a-409a et conclusio, n. 3, p. 437a; sed sanctus Bonaventura admittit in regula multa praecepta: « Regula ista praeceptis est plena » (conclusio, n. 1, p. 436b); PETRUS IOANNES OLIVI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. Firmamentum, pars III) c. 3, fol. 111rb.

(50) Cf. M. BIHL, OFM., *Statuta generalia ordinis edita in capitulis generalibus celebratis Narbonae an. 1260, Assisii an. 1279 atque Parisiis an. 1292 (editio critica et synoptica)*, in AFH 34 (1941) 13-94, 284-258.

(51) V. gr., ANGELUS CLARENUS, *Expositio regulae fratrum minorum* (ed. L. OLIGER, Ad Claras Aquas 1912) c. 3, p. 83-87; *Brevis expositio edita a quibusdam patribus ordinis* (ed. Firmamentum, pars III) c. 3, fol. 68vb (admittitur ibidem praeceptum officii clericorum); NICOLAUS DE AUXIMO, *Declaratio super regulam fratrum minorum* (ed. Firmamentum, pars III), fol. 70rb-70vb.

de praecepto laicorum, cum immediate de argumento mentionem faciat (52); immo, caput primum regulae explicans, transcribit enumerationem clementinam praeceptorum, sine officii laicorum adiectione (53). Et celeberrima expositio ab Alexandro Ariosto redacta et *Serena conscientia* nuncupata, quaeque inter saeculi XV interpretationes ubertate eminet et a Petro Navarro, OFM., inter quatuor optimas antiquas regulae explanationes est recensita (54), etsi memoret praeceptum de officio clericorum ex bulla *Exivi de paradiso* (55) et postea agat de officio laicorum, silet de eiusdem praecepto (56). Sanctus vero Ioannes a Capistrano, in sua strictiori declaratione, admittit praeceptum officii laicorum (57). Hoc ut exceptio magis considerandum est.

Ideo non facile admittenda est ordinis traditio seu consuetudo ab Antonio a Corduba proposita, cum contrarium possit probari. Eidem auctori videtur haec argumentatio insufficientis, cum recurat ad quandam epistolam ministri generalis (58), cuius attestatiōni iuridice non possumus acquiescere, cum sit unicus casus a nobis notus (valde suspectus circa veram naturam iuridicam documenti), in quo regulae sollemnis declaratio per quandam epistolam proponatur. Hoc documentum, a multis regulae expositoribus supra citatis, ex cordubensi adducitur. Sed clare deducitur ex hoc negotio saeculo XVI praeceptum non esse clarum (59).

(52) BARTHOLOMAEUS DE PISA, *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam domini Iesu*, vol. I, Ad Claras Aquas 1906, fructus IX, pars II, c. 3, n. 1, p. 397s.

(53) *Ibid.*, c. 1, p. 384s.

(54) P. NAVARRO, OFM., *Exposición de la regla de N. seráfico P. san Francisco*, Madrid [1641], q. 6, p. 24. Cf. F. ELIZONDO, *Doctrinales regulae franciscanae expositiones usque ad annum 1517*, in *Laurentianum* 2 (1961) 488s.

(55) ALEXANDER ARIOSTUS, *Serena conscientia* (ed. *Firmamentum*, pars III) quaestio 38, fol. 140va.

(56) *Ibid.*, quaestio 43, fol. 141rab.

(57) GIOVANNI DA CAPESTRANO, *Esposizione della regola dei frati minori* (ed. A. GHINATO, OFM., Roma 1960) c. 3, p. 18.

(58) Vide textus transcriptionem in nota 42.

(59) Vide initium textus transcripti in nota 42, ubi adducuntur rationes dubitationis illo tempore propositae et postea, ex cordubensi, a multis auctoribus recensitae.

Non possumus admittere sententiam Antonii a Corduba, iuxta quam « non omnia expressit Clemens V quae in aequipollentibus continebantur », nam, excepto ultimo praecepto explicite a romano pontifice modo generali recensito, sententia omnino contraria est tenenda, si attente perpendatur unumquodque praeceptum et si intime considerentur et Clementis intentio omnia dubia sublevandi et decretalis redactio, quia commissio ad eam praeparandam memorat tantum factum officii clericorum et laicorum, silens de praecepto; Clemens V vero loquitur de praecepto clericorum, silens omnino de praecepto laicorum, de quo, si voluisset, debuisset loqui. Argumenta a Ludovico a Parisiis et a Sancte a Roma adhibita et supra relata, ex dictis non indigent commentario.

Insuper, Innocentius XI, in bulla *Sollicitudo pastoralis* inscripta, declarat fratres minores « teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, et praecepta a fel. rec. Nicolao III et Clemente V Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, exposita et numerata » (60); igitur, non ad alia. Et immediate memorat inter praecepta, « recitationem Divini Officii » (61), non agens de laicorum officio.

Omnibus proinde rite perpensis, haec est nostra sententia, scilicet: 1) non posse affirmari ante bullam *Exivi de paradiso* exstitisse certo praeceptum grave recitandi officii laicorum; 2) in bulla clementina certo hoc praeceptum non proponi, immo explicite excludi; 3) ante saeculum XVI non facile posse admitti obligationem sub gravi; 4) iam a saeculo XVI usque ad nostra tempora auctores proposuisse obligationem gravem, ex ordinis traditione seu consuetudine; 5) hodie non posse hoc simpliciter admitti, quia est contra clementinam declarationem, ad quam semper et ubique auctores recurrunt ad regulam explanandam, et etiam contra bullam *Sollicitudo pastoralis* Innocentii XI; 6) mirari debere quod ultra bullam clementinam,

(60) INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) (ed. *Monumenta selecta iuris regularis*, Ad Claras Aquas 1913) p. 60. Innocentius XII, in bulla *Alias a felicitis recordationis* (2 iul. 1695), renovavit hanc decretalem (ed. *Orbis seraphicus*, vol. V, pars II, Augustae Taurinorum 1741, p. 23b-28a).

(61) INNOCENTIUS XI, *loc. cit.*

quae parti *securiori* et *rigidiori* adhaeret, aliquod praeceptum possit affirmari; 7) ideo nos iudicare officium laicorum non esse praeceptum nec ex regula, nec ex pontificiis declarationibus, nec ex recta traditione seu consuetudine (62).

b) *Ieiunium quadragesimae maioris seu ante Pascha*

Alia quaestio quodammodo minus clara et attente perpendenda quadragesimae maioris respicit ieiunium. Procul dubio tenentur fra-

(62) « Putarem regulam fratrum minorum esse dubiam circa naturam officii laicorum » (K. KAZENBERGER - A. IGLESIAS, *Liber vitae*, ed. 3, Romae 1954, c. 3, q. 2, p. 97, in nota 2). F. Pawlowski, argumentum sic resumit: « 1. In vetustis documentis parum vel nihil de huius observantia dicitur, ex quo tamen silentio multum de eius non-existentia inferre haud licet. S. Bonaventura in regulae expositione potius mysticae rationi quae numero orationum dominicarum inest incumbit; sed et hoc fortassis propterea quod obligationis existentiam et servationem omnino supponit. - 2. In regula est quaedam textualis coniunctio inter clericorum et laicorum officia, quamvis utrumque plene separatis propositionibus enuntietur. Quam coniunctionem adeo intimam putant nonnulli expositores ut officium laicorum in ipso Clementis V aequipollente, quod de laicis omnino silet, contentum adserant. Quod non videtur admittendum, tum a) propter manifestam restrictionem aequipollentis per subiectum "clerici", tum b) propter verisimilitudinem quod hic potius *ritus* per regulam praecipitur intenditur, ut supra diximus. Item dici potest quod contrariorum ratio si hic valet, in aliis etiam casibus, qui pares sunt, verificari quoque deberet; e. gr., declarato aequipollenti "de non habendo plures quam duas tunicas" deberet iam concludi praeceptum de non calceando et de vili vestuario, quae omnia usum arctum rerum uno contextu determinant; et tamen haec a Clemente V distincte ponuntur. - 3. Propter silentium Clementis V non est mirum fuisse quondam haesitatum a multis de huius praecepti existentia. Consuetudo tamen, testantibus expositoribus [non recentibus] stetit generatim pro obligatione; cui, ad dubia tandem auferenda, accessit quaedam (quae traditione retinetur) semi-authentica — ut ita dicamus — declaratio ministri generalis Francisci ab Angelis, qui in epistola ad partes Hispaniae a. 1523 missa, fertur auctoritate apostolica declarasse illud praeceptum existere [in nota ait: "Primum invenitur apud Cord. (1540) c. 3 q. 1, 4°, qui vere dici potest competens in tali testimonio, utpote qui et ipse hispanus fuit et ex scientia propria testari potuit"]. - 4. Quapropter usus adhuc fundatior evasit eiusque naturae ut servetur propterea quod officium istud reputabatur punctum obligatorium regulae. Et proinde saltem illa consuetudo, cum iuridica evasit in praedicto sensu, eadem dicenda est consuetudo declaratoria regulae, eo effectum ut origo iuridica obligationis huius regulae tandem assignari debeat consuetudine legitima interpretata seu declarata » (F. PAWLOWSKI, OFM., *De origine iuridica praeceptorum regulae fratrum minorum*, Roma 1923) (dissertatio manuscriptorum). Ex dictis in textu, non approbamus huius auctoris conclusionem.

tres ad eiusdem observantiam; sed quo titulo, unice ecclesiastico an etiam regulari; aliis verbis: praeceptum ieiunii quadragesimae maioris imponitur etiam a regula an tantum in ea memoratur? (63).

Sanctus Franciscus de ieiunio hoc praescribit:

Regula I

« Et similiter omnes fratres ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Natale Domini et ab Epiphania... usque ad Pascha; aliis autem temporibus non teneantur secundum hanc vitam nisi sexta feria ieiunare » (c. 3, p. 29).

Regula II

« Et ieiunent a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania... et qui nolunt, non sint astricti. Sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, ieiunare » (c. 3, p. 66).

Ex redactione regulae primae videretur ieiunia franciscana comprehendere etiam quadragesimam maiorem; seraphicus pater ait: « aliis autem temporibus non teneantur *secundum hanc vitam* nisi sexta feria ieiunare ». Ex alia parte, regula secunda expresse loquitur de quadragesima maiori, non vero, de aliis ieiuniis ecclesiasticis, v. gr., quatuor temporum; ergo videtur illam esse etiam a regula praescriptam. Immo potest dici omnia ieiunia imponi, indirecte tamen, sub verbo *teneantur*, cum legislator statuat: « aliis autem temporibus *non teneantur*, nisi sexta feria, ieiunare », et postea Clemens V hoc doceat, scilicet, quod omnia quae in regula imponuntur sub verbo *teneantur* obtinent vim praecepti (64).

Sed ex regulae verbis potest alio modo argumentari. Terminus *secundum hanc vitam* non invenitur in regula secunda; et hoc, si videtur non esse maioris momenti contra sententiam, cum regula

(63) Cf. FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Ayunos de los religiosos después de la promulgación del código*, in *Revista española de derecho canónico* 8 (1953) 453-473; ID., *Ayunos y abstinencias en la regla franciscana*, in *Ius seraphicum* 1 (1955) 268-294; J. J. SULLIVAN, OFM. Cap., *Fast and Abstinence in the First Order of Saint Francis*, Washington 1957.

(64) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 238.

prima sit fons regulae secundae, tamen clausulae suppressio rem relinquit incertam et suspicionem gignit hoc non sine sensu factum esse. Mentio quadragesimae maioris in regula secunda facile explicatur. Saeculis XII-XIII religiosi generaliter ieiunabant a festo sanctae crucis (die 14 septembris) *usque ad Pascha* (65). Sanctus Franciscus, in regula prima statuit ieiunium a festo omnium sanctorum *usque ad Pascha* (exceptis festis nataliciis). Cum vero in regula secunda quadragesimam ab Epiphania incipientem non praescribat, congruum erat, iuxta saeculi XIII mentalitatem, ut terminus ad quem ieiuniorum stabiliret (*usque ad Pascha* seu *Resurrectionem Domini*), ut si diceret: fratres non adstringuntur quadragesimae Epiphaniae, iam suppressae, sed advertant adhuc manere quadragesimam maiorem ab ecclesia stabilitam. Est ratio cur tantum hoc ieiunium ecclesiasticum in regula memoretur, aliis neglectis. Si ad tertium argumentum veniamus, id est, ad modum praescribendi ieiunia sub verbo *teneantur*, nobis videtur regulam ea statuere sub verbo *ieiument*: « Et *ieiument* a festo... Sed aliam... *ieiument* ». Et haec est sententia Clementis V, cum in eiusdem praeceptorum enumeratione ieiunium specificè memoret, proindeque id non includit in clausula ultima generali, in qua loquitur de mandatis sub verbo *teneantur* indictis.

Ante decretalem *Exivi de paradiso*, Quatuor magistri silent de argumento (66). Et videtur Hugo de Digna admittere quadragesimam maiorem ut ieiunium ecclesiasticum, non vero regulare (67). Sanctus vero Bonaventura explicite asserit illam etiam a regula esse

(65) Sic, e. gr., benedictini, carthusiani, praemonstratenses, carmelitani, dominicani et alii. Cf. nostram elucubrationem *Ayunos y abstinencias en la regla franciscana*, in *Ius seraphicum* I (1955) 269ss.

(66) QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. L. OLIGER, Roma 1950) c. 3, p. 138s.

(67) « Et ne putemus nos per hanc quadragesimam [sic dictam *benedictam*] ab alia quam ecclesia statuit eximi, subditur *Sed aliam usque ad Resurrectionem Domini* etc. Ac si dicatur: istam possunt ieiunare qui volunt, sed aliam ieiunare tenentur. Nunquam enim regula excusat a ieiuniis ecclesiae » (HUGO DE DIGNA, *Expositio regulae fratrum minorum* (ed. *Firmamentum*, pars III) c. 3, fol. 37va.

praescriptam (68). Ioannes Valensis nihil dicit (69). Ioannes Pecham genericè loquitur (70). Petrus Ioannes Olivi proclamatur duplicem obligationem (71). In ordinis statutis saeculi XIII, in capitulis generalibus Narbonae, Assisii et Parisiis promulgatis, hoc stabilitur: « cum secundum Regulam teneamur duas quadragesimas ieiunare et intermedia suadeatur... » (72).

Commissio ad praeparandam bullam *Exivi*, loquens in sua relatione de praeceptis in capite tertio regulae indictis, ait: « Et infra capitulo III: *Clerici faciant divinum officium secundum etc. Usque ad Nativitatem Domini ieiunent; aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare.* Hic indici credimus fratribus sub precepto ieiunium quadragesimale et sextae feriae » (73). Ubi forsitan erronee regula citatur, cum eadem dicat non « usque ad Nativitatem Domini ieiunent », sed « usque ad Resurrectionem Domini ieiunent », nisi velit dici commissionem tantum verborum ordinem mutasse (« Et ieiunent... usque ad Nativitatem Domini », ut legitur

(68) « *Et ieiunent.* Hic agitur de ordinantibus hominem ad se ipsum, scilicet de ieiunio. Et loquitur de triplici quadragesima, duas praeceptorie imponens, tertiam ad devotionis excitationem suadens » (S. BONAVENTURA, *Expositio super regulam fratrum minorum*, in *Opera omnia*, vol. VIII, Ad Claras Aquas 1898, c. 3, n. 7, p. 409a).

(69) IOANNES VALENSIS, *Declaratio super regulam* (ed. *Firmamentum*, pars III) c. 3, fol. 101ra-102ra.

(70) « Et ad ieiunium in regula expressum tenentur [fratres] *ex praecepto.* Cum enim dicit *Aliis autem temporibus non teneantur*, etiam sequitur a contrario sensu ut in illo tempore teneantur » (IOANNES PECHAM, *Declaratio super regulam fratrum minorum* [ed. *Firmamentum*, pars III] c. 3, fol. 75vb [ed. A. G. LITTLE, Aberdoniae 1910, p. 50]).

(71) [Sanctus Franciscus] « Quadragesimam ab ecclesia communiter iniunctam et celebratam hic nobis imponit. Tum ut per hoc doceret nos ieiunia et statuta ecclesiae prae ceteris observare debere, tum quia non omnes sani communiter ad illam astringuntur utpote secundum quosdam non nisi post aetatis suae XXI annum: et etiam quia posset in ecclesia per diversas vias illud ieiunium amoveri. Idcirco haec secunda voluit specialiter astringi » (PETRUS IOANNES OLIVI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. *Firmamentum*, pars III), c. 3, fol. 111va).

(72) Cf. M. BIHL, OFM., *Statuta generalia ordinis edita in capitulis generalibus celebratis Narbonae an. 1260, Assisii an. 1279 atque Parisiis an. 1292 (editio critica et synoptica)*, in AFH 34 (1941) 55, 59 (rubrica 4, n. 1).

(73) *Relatio commissionis*, p. 161.

in regula), ideoque scienter siluisse de quadragesima maiori. Sed in utroque casu clare deducitur conclusio magistrorum: cum loquuntur de ieiunio *quadragesimali*, respiciunt ad quadragesimam ordinis propriam, id est, nataliciam.

Clemens V, praecepta aequipollentia significans, disserit tantum de quadragesima Natalis Domini et de sextis feriis: « Item, quod ieiunare a festo omnium Sanctorum usque ad Natale Domini et in sextis feriis teneantur » (74). Ne verbum quidem de quadragesima maiori. Verum est decretalem loqui de duobus temporibus seu quadragesimis « annotatis in Regula... in quibus ieiunare tenentur » fratres (75). Ex his verbis non pauci doctores, infra memorandi, volunt deducere quadragesimam maiorem esse etiam praeceptum regulare. Sed hoc improbandum est: *primo*, quia romanus pontifex ibi loquitur de duobus temporibus ieiunii « annotatis in Regula » (quod est verum; non de praeceptis), in quibus fratres « ieiunare tenentur » (utique, ex regula in quadragesima natalicia, ex iure communi in quadragesima maiori); *secundo*, et imprimis, quia Clemens V in hoc articulo debebat loqui de quadragesima maiori ad erroneam sententiam confutandam, scilicet, illorum qui autumabant fratres minores non esse obligatos ad alia ieiunia (ergo nec ecclesiastica) quam ad ea quae in regula proponebantur, quaeque romanus pontifex, ad maiorem claritatem explicite recenset. Sententia, in decretali damnata, iam a primis regulae expositoribus erat memorata et confutata (76).

(74) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 237.

(75) *Exivi*, a. 6, p. 242s.

(76) « Sequitur: *Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare*. Voluerunt quidam ex hoc dicere, quod non tenentur ieiunare in quatuor temporibus, sive in aliis ieiuniis generaliter ab ecclesia institutis. Sed sicut religio fratrum minorum non auferit mihi christianismum, sic nec tollit mihi ieiunium christianorum. Non igitur praedicta exceptione ieiunia ecclesiae excluduntur » (QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam fratrum minorum*, ed. L. OLIGER, Roma 1950, c. 3, p. 139). Eandem sententiam tenent HUGO DE DIGNA, *Expositio regulae fratrum minorum* (ed. *Firmamentum*, pars III) c. 3, fol. 37va; PETRUS IOANNES OLIVI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. *Firmamentum*, pars III) c. 3, fol. IIIvab.

Post bullam vero Clementis V, Gundisalvus Hispanus, etsi aequipollentia enumerans praecepta, minus clare mentem suam pandit de argumento (77). Agens de praeceptis vim habentibus aperte asserit quadragesimam maiorem esse praeceptum regulare: « Secundum est quod aliis temporibus praeterquam a festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini *et in quadragesima* et sextis feriis non teneantur fratres ieiunare. Hoc est, quod in supradictis teneantur; in aliis autem non, si nolunt; et sic patet quod ieiunia regulae aequipollent praecepto et habent vim praecepti » (78). Bartholomaeus a Pisis (79) et Alexander Ariostus (80) nimis generice loquuntur. Sanctus Ioannes a Capistrano supponit praeceptum etiam regulare (81). Statuta ordinis generalia usque ad saeculum XVI eandem formulam ac primigenia proponunt (82).

Saeculo XVI, Ioannes de Argomanes, in suo opusculo *Speculum fratrum minorum* nuncupato et frequentissime ab expositoribus saeculorum XVI-XVII citato, explicite proponit nostram quaestionem: « Utrum ad ieiunium quadragesimae maioris teneantur fratres duplici obligatione, scilicet, non solum per ius commune, sed etiam

(77) « Quintum est quod *ieiunent a festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini* etc. et in sextis feriis » (GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis*, fol. 71rb).

(78) *Ibid.*, fol. 71rb.

(79) BARTHOLOMAEUS DE PISA, *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam domini Iesu*, vol. I, Ad Claras Aquas 1906, fructus IX, pars II, c. 3, n. 2, p. 398.

(80) ALEXANDER ARIOSTUS, *Serena conscientia* (ed. *Firmamentum*, pars III) quaestio 44, fol. 141rb.

(81) GIOVANNI DA CAPESTRANO, *Esposizione della regola dei frati minori* (ed. A. GHINATO, Roma 1960) c. 3, p. 19.

(82) « Cum secundum regulam teneamur duas quadragesimas ieiunare et intermedia suadeatur... » (*Statuta Farineriana* [an. 1354], rubrica 4, n. 1) (ed. M. BIHL, *Statuta generalia ordinis edita in capitulo generali an. 1354 Assisii celebrato, communiter farineriana appellata*, in AFH 35 [1942] 35-112, 177-253) p. 97. Eadem formula usa sunt alia generalia statuta, v. gr., assisiensia an. 1316 (caput 4, n. 1, in AFH 4 [1911] 282); lugdunensia an. 1325 (caput 4, n. 1, in AFH 4 [1911] 530); assisiensia an. 1340 (titulus 4, n. 1, in AFH 6 [1913] 259).

per regulam » (83). Est primus auctor a nobis notus qui explicite et concrete de argumento loquatur. Et respondet: « Aliqui antiqui expositores regulae dixerunt quod sic. Tamen videtur ex ista declaratione Clementis, quod non. Nam specificando aequipollentia, dicit quod ieiunent a festo omnium sanctorum et sextis feriis, et de quadragesima nullam mentionem fecit » (84). Aliquantulum vero dubitat de praecepti non existentia, cum Clemens V asserat omne quod per verbum *teneantur* imponatur, obtinere vim praecepti, et in regula dicatur « aliis autem temporibus *non teneantur*, nisi sexta feria, ieiunare ». Et sequitur: « Attamen ego plus declinarem ad contrariam positionem ex rigore sermonis, licet ex scrupulo trepidarem » (85).

Antonius a Corduba, in hac quaestione, sicut in aliis multis regulam respicientibus, dux expositorum, ad probandum praeceptum regulare in quadragesima maiori, haec profert argumenta: 1) in regula, ieiunia imponi sub verbo *teneantur*, et Clementem V asserere omnia quae sub hoc verbo praescribuntur, obtinere vim praecepti; 2) bullam clementinam loqui de duobus temporibus ieiunii in regula annotatis, in quibus fratres tenentur ad eiusdem observantiam; 3) in constitutionibus farinerianis et in aliis constitutionibus hoc affirmari, quod, secundum regulam, fratres teneantur duas quadragesimas ieiunare (86); 4) doctores antiquos hanc habuisse sententiam, v. gr., Gundisalvum Hispanum, sanctum Bonaventuram, Hugonem a Digna; 5) Clementem V non omnino explicare, sed solum leviter tangere, praecepta aequipollentia, sine congrua explanatione, ut dictum est supra de officio laicorum (87).

Ex dictis patet haec argumenta non habere vim probatoriam. Ipsemet Antonius a Corduba, hoc considerans, sententiam habet

(83) IOANNES DE ARGOMANES, *Speculum fratrum minorum* (ed. *Enchiridion seu Manuale fratrum minorum* [Hispani 1535], fol. 41v.

(84) *Ibid.*, fol. 41v-42r.

(85) *Ibid.*, fol. 42r.

(86) Vide quae diximus in notis 72, 82.

(87) ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio*, c. 3, q. 2, p. 152ss.

tantum ut probabiliorem (88) et veriorem (89), nam argumenta, ait, non sunt clara (90).

Post Antonium Cordubensem, regulae expositores, generaliter eadem argumenta, plus minusve partialiter vel totaliter repetita et ex nostro auctore allata, proponentes, affirmant quadragesimam maiorem non tantum iure communi ecclesiastico, sed etiam iure proprio regulari fratribus imponi (91), plus aequo probabiliorismum vel tutorismum aliquibus auctoribus propugnantibus (92).

Tamen non desunt doctores qui sententiae mitiori plus minusve, suavius vel fortius, adhaereant, v. gr., ut Kazenberger-Iglesias (93), Bernardinus a Senis (94) et alii (95); inter expositores non recentes,

(88) « *Probabilius* videtur quod etiam ex regula tenentur omnes professi ieiunare quadragesimam [maiolem], quamvis id aliquantulum videatur dubium, probatur quod sit probabilis » (*Ibid.*, p. 152). « Sed, ut dixi, *probabilius* est tenere primum, quod, scilicet, tenentur omnes ex vi regulae eam ieiunare » (*Ibid.*, p. 153s.).

(89) « Ideo teneatur tamquam *probabilius* et *verius* quod ex vi regulae est quadragesima necessario ieiunanda ab omnibus professis, ut supra dictum est » (*Ibid.*, p. 154).

(90) « Sed his non obstantibus, dictum est quod adhuc potest dubitari an quadragesima sit ex vi regulae nostrae necessario ieiunanda » (*Ibid.*, p. 153).

(91) Videantur auctores in opere J. J. SULLIVAN, *Fast and Abstinence in the First Order of Saint Francis*, Washington 1957, p. 23s. Addantur J. NIÑO, OFM., *Memorial de los preceptos*, Salamanca 1622, c. 3, p. 50s.; L. MIRANDA, *Exposición de la regla de los frailes menores*, ed. 2, Salamanca 1622, c. 44, p. 289s.; P. NAVARRO, *Exposición de la regla de N. Seráfico P. san Francisco*, Madrid [1641], c. 3, q. 3, p. 121s.; T. MONTALVO, OFM., *Glossa fundamentalis*, vol. I, Matriti 1740, c. 17, a. 3, n. 4, p. 405a; S. BARTOLUCCI, *Minoritica fratrum conventualium*, Perusiae 1615, liber 2, c. 3, p. 143.

(92) Cf., v. gr., SANTI THESAURO ROMANO, *Esposizione sopra la regola del serafico padre S. Francesco*, Roma 1614, c. 3, p. 162; FILIPPO DA CASTELLUCCIO, *Dichiarazione letterale e morale de' precetti che si contengono nella regola de' frati minori di S. Francesco*, vol. II, Bologna 1759, quintum praeceptum, a. 9, p. 207-210.

(93) « Hoc ieiunium quadragesimale in regula potius commemoratur quam de nouo constituitur » (K. KAZENBERGER - A. IGLESIAS, *Liber vitae*, ed. 3, Romae 1954, c. 3, q. 3, p. 103, in nota 2).

(94) « Per diritto comune... il digiuno obbliga nella quaresima prima di Pasqua... In forza della s. Regola obbliga tutti i venerdì dell'anno, e dal 2 novembre fino alla festa del S. Natale » (BERNARDINO DA SIENA, *Esposizione della regola francescana*, ed. 2, Roma 1959, n. 356, p. 230; cf. etiam n. 371, p. 239s.).

(95) V. gr., MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, vol. I,

Cyprianus Crousers (96). J. J. Sullivan, qui speciale de ieiuniis regulae franciscanae studium instituit, admittens nostram sententiam alibi expositam (97), ad hanc pervenit conclusionem: « There is no special precept of the Franciscan Rule to observe the Lent that precedes our Lord's Resurrection. The Rule simply calls to mind the precept established in the common Law » (98).

His igitur praelibatis, en nostra de argumento sententia: 1) ante bullam clementinam non constat de traditione circa fundamenta obligationis ieiunii quadragesimae maioris; 2) bulla *Exivi de paradiso* silet de hoc praecepto regulari, cum aequipollentia enumeret praecepta; 3) ex decretali non probatur ieiunium quadragesimae maioris esse praeceptum regulare; 4) post decretalem *Exivi de paradiso* usque ad saeculum XVI clare non constat de duplici obligatione; 5) initio saeculi XVII res maturius est examinata; 6) post expositionem Antonii a Corduba, qui sententiae rigidiori, etsi dubitanter,

ed. 3, [1947], n. 627, p. 817, in nota 2; G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici*, vol. II, ed. 2, Parisiis-Tornaci-Romae 1949, p. 735, in nota 3.

(96) « Ne autem propter hoc prolixum ieiunium, existiment fratres se absolutos a ieiunio quadragesimali omnibus christianis communi, *Aliam*, inquit, *quadragesimam usque ad resurrectionem Domini ieiunent*, non quod de hac quadragesima novum praeceptum imponat his verbis, ut colligi potest ex clementina, in qua non numeratur inter ieiunia regularia; sed quod antiquum ecclesiae praeceptum ab apostolis traditum, vim habere etiam respectu fratrum suorum agnoscat. De reliquis ecclesiasticis ieiuniis, vigiliis scilicet et quatuor temporibus non neminit S. Pater, quod ab eis fratres non eximi facile colligi possit, cum ab eadem lege ecclesiastica iniungantur » (CYPRIANUS CROUSERS AB ANTWERPIA, *Lectiones paraeneticæ ad regulam seraphici patris S. Francisci*, Coloniae Agrippinae 1625, c. 3, lectio par. 4, p. 168).

(97) Cf. nostram elucubrationem *Ayunos y abstinencias en la regla franciscana*, in *Ius seraphicum* I (1955) 268-294.

(98) J. J. SULLIVAN, *Fast and Abstinence in the First Order of Saint Francis*, Washington 1957, p. 116. Cf. etiam p. 10-27. Et hodiernae constitutiones generales fratrum minorum asserunt: « *Ex iure communi servanda est: ...3. Lex solius ieiunii reliquis quadragesimae diebus, exclusis tantum diebus dominicis; quae obligatio etiam in S. Regula continetur. - Ex praecepto S. Regulae graviter urget lex ieiunii tantum: 1. A festo Omnium Sanctorum...; 2. Singulis sextis feriis...* » (*Regula et Constitutiones generales ordinis fratrum minorum*, Romae 1953, n. 181, p. 64).

adhaesit, fere omnes regulae interpretes hanc admiserunt doctrinam; 7) sed nobis videtur sententia mitior esse amplectenda, scilicet, ieiunium quadragesimae maioris non obligare ex regula, cum argumenta a doctrina severiori adhibita non sint probatoria, et cum nos debeamus tantum admittere praecepta aequipollentia a Clemente V expresse recensita iuxta *securiorem* et *rigidiorum* regulae interpretationem.

II. — De praeceptorum aequipollentium obligatione

Ex praecipuis quaestionibus a Clemente V decisis, haec de praeceptorum regulae obligatione locum maximi momenti occupat. Immo asseri potest decursu saeculorum hoc argumentum fuisse praecipuum huius decretalis, cum magnis in ordine discussionibus finem posuerit et normam franciscalibus statuerit diversam ab illa quam religiosa instituta illius temporis (99) et saeculis posterioribus (100) admitterent.

Clemens V, ut scitur, sua decretali dolendis disceptationibus annorum 1309-1312 inter communitatem et sic dictos spirituales exortis viam praecludere voluit (101); in quibus discussionibus multa

(99) Cf. nostram elucubrationem *Obligatoriedad de las reglas en los siglos XII y XIII*, in *Revista española de derecho canónico* 8 (1953) 761-793.

(100) Cf. C. MAZON, *Las reglas de los religiosos. Su obligación y naturaleza jurídica*, Romae 1940, p. 212-234. De regulis religiosorum vide etiam L. R. RAVASI, CP., *De regulis et constitutionibus religiosorum*, Romae-Tornaci-Parisiis [1958]; A. BONI, OFM., *Disciplina religiosa e aggiornamento conciliare*, Roma 1967 (cum iudicio ponderato legendum).

(101) Cf. F. EHRLE, S.I., *Die Spiritualem, ihr Verhältniss zum Franziskanerorden und zu den Fraticellen*, in *ALKG* 1 (1885) 509-569; 2 (1886) 106-164, 249-336; 3 (1887) 553-623; 4 (1888) 1-190; RENÉ DE NANTES, OFM. Cap., *Histoire des spirituels*, Paris 1909; K. BALTHASAR, *Geschichte des Armutstreites im Franziskanerorden*, Münster i. W. 1911; D. L. DOUIE, *The nature and the effect of the heresy of the fraticelli*, Manchester 1932; L. OLIGER, *Spirituels*, in *Dict. théol. cath.*, ad verbum, col. 2522-2549.

sunt opuscula scripta, partim iam edita partim vero adhuc inedita, de regulae obligatione et paupertatis observantia (102). Ideoque bulla *Exivi de paradiso* in duo potest dividi argumenta, alterum de regulae obligatione (103), alterum de paupertate (104), duobus quaestionibus minoris momenti adiunctis (105).

Nolumus hic harum disceptationum historiam contexere (106), immo nec de omnibus regulae obligationibus in decretali memoratis studium instituere; sed tantum de praeceptis aequipollentibus disserere, de quibus permagnae ante pontificium documentum fuerunt controversiae (107) et, eo promulgato, concors fuit, quoad substantiam, auctorum sententia.

(102) De his scriptis vide catalogum a Raymundo de Fronsac redactum et ab Ehrle editum (ALKG 3 [1887] 7-32, praesertim 17-26). Cf. etiam A. HEYSSE, OFM., *Anonymi spiritualis responsio « Beatus vir » contra « Abbreviaturam communitatis »*, in AFH 42 (1949) 213-216, ubi recensentur editiones horum opusculorum, quibus addenda est *Relatio commissionis in concilio viennensi institutae ad decretalem « Exivi de paradiso » praeparandam*, edita a G. Fussenegger, in AFH 50 (1957) 145-177.

(103) En argumenta: de observatione sancti evangelii (art. 1); de regulae praeceptis (art. 2); de iis quae aequipollent praecepto (art. 3).

(104) De bonis ingredientium ordinem (sub aspectu paupertatis) (art. 4); de fratrum vestimentis (art. 5); de prohibita pecunia (art. 7); de expropriatione fratrum et de abusibus denunciatis (art. 8); de haereditatibus non acceptandis (art. 9); de redditibus et possessionibus non habendis (art. 10); de curiis et litibus (art. 11); de non acceptandis testamentorum executionibus (art. 12); de hortis (art. 13); de granariis et cellariis (art. 14); de aedificiis (art. 15); de paramentis ecclesiasticis (art. 16); de equorum et armorum oblationibus (art. 17); de usu rerum (art. 18).

(105) De ieiuniis (art. 6); de electione et confirmatione ministrorum provincialium (art. 19). Bulla habet *prologum* et *epilogum*.

(106) Cf., praeter auctores in nota 101 recensitos, F. EHRLE, *Zur Vorgeschichte des Concils von Vienne*, in ALKG 2 (1886) 353-416; 3 (1887) 1-195; GRATIEN [DE PARIS], OFM. Cap., *Histoire de la fondation et de l'évolution de l'ordre des frères mineurs au XIII^e siècle*, Paris-Gembloux 1928, p. 378-499; E. MÜLLER, *Das Konzil von Vienne*, Münster in Westfalen 1934, p. 236-386.

(107) Cf. nostras elucubrationes *De evangelii et regulae franciscanae obligatione usque ad bullam « Exivi de paradiso » Clementis V* (6 mai 1312), in *Laurentianum* 2 (1961) 226-260; *De praeceptorum numero in regula fratrum minorum disquisitio historica*, in *Collectanea franciscana* 37 (1967) 250-285.

I. — AUCTORUM SENTENTIAE POST BULLAM « EXIVI DE PARADISO »

Clemens V, enumerans regulae praecepta sub gravi fratres obligantia (108), maximum obtinuit successum, cum practice in ordine de hoc argumento iam postea parum aut vix disceptatum fuerit.

Profecto, omnes regulae expositores, paucis exceptis, aperte proclamant regulam franciscanam imponere graves obligationes et simpliciter admittunt praecepta a Clemente V memorata, inter quae, ut patet, sic dicta aequipollentia. De hoc non possumus obiective dubitare. Etenim haec sententia, immediate post decretalem *Exivi* in ordine recepta, ad nostra usque tempora pacifice pervenit (109). Praeterea aliquando ipsi textus legales praecepta aequipollentia sub gravi imposita expresse adnotant (110).

Nihilominus habentur et aliquae exceptiones; sunt enim auctores qui aut affirmant regulam franciscanam nullam imponere obligationem sub gravi (ideoque nec in praeceptis aequipollentibus) aut, rem nostram magis attingentes, dubitent praecise de praeceptorum aequipollentium iuridica natura.

Haec sunt quae de argumento potuimus in nostris investigationibus invenire.

(108) *Exivi*, a. 2s., p. 234-238.

(109) Videantur auctores recensiti apud FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Origen de la obligatoriedad de la regla franciscana*, Roma 1956, p. 9-19; FORTUNATO DE SANTIAGO, OFM. Cap., *Doctrinas acerca de la regla franciscana en los siglos XVIII-XIX, y líneas fundamentales del sistema de Antonio Esquivel*, in *Laurentianum* 7 (1966) 324, in nota 7, ubi citantur plus quam triginta auctores saeculorum XVIII-XIX.

(110) V. gr., *Constitutiones ordinis fratrum minorum sancti patris Francisci conventualium*, Romae 1932, c. 1, tit. 6, n. 22, p. 22. Cf. ibidem p. 1-10, ubi ad calcem recensetur unumquodque praeceptorum. Cf. etiam constitutiones sambucenses anni 1663 pro familia observantium cismontana, ubi in initio habetur summarium praeceptorum, etiam aequipollentium, et dicitur: « Aequipollentia, ex declaratione Clementis V, obligantia ad mortale » (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. II, Venetiis 1718, p. 5b [appendix]).

a) *Cyprianus Crousers ab Antuerpia, OFM. Cap.*

Hic auctor, de professione religiosa loquens, non admittit regulae praecepta esse vota, cum Clemens V distinguat inter tria vota substantialia et regulae praecepta. Quamvis mentionem faciat de praeceptis *ex vi voti* adimplendis, intelligi debet eo sensu, scilicet, quod regulae praescripta non sunt materia immediata voti, sed quod fratres per votum ingrediuntur institutum religiosum, in quo habentur leges quae obligant sub mortali. Sed quaeritur: cur verba praeceptiva in regula sancti Francisci obligent sub mortali, non vero in aliis regulis? Refert sententiam E. Roderici, qui affirmat hoc provenire ex intentione beati Francisci et ex eo quod ordo iam ab initio verba sic intellexit (111).

Crousers huic sententiae in praxi acquiescit, non vero speculative, cum non demonstrantur nec fundatoris intentio nec ordinis consuetudo, ut probari potest ex magnis disceptationibus ante bullam *Exivi* habitis. Sed, etsi constaret de antiqua ordinis consuetudine, quae argumenta adducuntur ad probandum eam non esse contra ius introductam? Si regulam sancti Francisci secundum iuris principia interpretemur, non licet asseri mentem fundatoris fuisse, « *saltem circa aequipollentia* », tot et tam graves obligationes inducere (112).

Alibi, de praeceptis regulae sermonem faciens (113), ait: 1) ex bulla *Exiit qui seminavit* Nicolai III omnia quae sub verbo praecipio (vel iniungo) imponuntur gravem constituunt obligationem; 2) fratres tenentur etiam sub gravi culpa ad vota castitatis et paupertatis, quoad hoc ultimum etiam vi praecepti saltem aequipollentis in capite sexto regulae imperati (oboedientiae votum in numero praecedenti est recensitum); item tenentur ad ordinem non derelinquere, et hoc, sive ex voto emisso de regula ad vitam servanda, sive ex prae-

(111) Cf. E. RODERICUS, OFM., *Quaestiones regulares et canonicae*, vol. I, Turnoni 1609, q. 26, a. 4, p. 170b-171b.

(112) CYPRIANUS CROUSERS AB ANTUERPIA, *Lectiones paraeneticæ ad regulam seraphici patris S. Francisci*, Coloniae Agrippinae 1625, c. 2, lect. par. 4, p. 93-98 (cf. *Analecta ordinis fratrum minorum capuccinorum* 16 [1900] 219).

(113) « *Quaenam sint obligatoria in regula et quomodo cognosci possint* » (*Ibid.*, c. 1, lect. par. 2, p. 40-47).

cepto capitis secundi legislationis; 3) in regula habentur quaedam mandata sub verbo imperativo recensita, de quibus non levia exorta sunt dubia; ut iisdem finem imponeret, Clemens V omnia quae sub verbis aequipollentibus praeceptis proponuntur singillatim enumerat, distinguens in ea: a) tria vota substantialia; b) quae ea modificant; c) quaedam alia. Supposita gravi votorum obligatione, romanus pontifex affirmat dari in regula quaedam alia, etiam tria vota specificantia; quae non obligant sub mortali culpa. Etsi Clemens V multa admittat praecepta, tamen, ad dignoscendam culpae quantitatem (mortalem, scilicet, vel venialem), attentos nos facit non tantum ad vim verbi adhibiti, sed etiam ad materiam de qua agitur; et merito quidem, ait auctor, quia « tanta obligatio non nisi ex utroque oriri potest ». Tandem romanus pontifex amplexus est sententiam non tantum tutam, sed tutiorem; mira tamen modestia non dicit *Necesse est*, sed *Expediit* ut fratres ad ea se noverint obligatos sicut ad aequipollentia praeceptis (114).

b) *Bruno Chassaing, OFM.*

Auctor exproffesso et ample argumentum sibi proposuit. Postquam probavit in regula franciscana haberi aliqua quae sub mortali obligent (115), sic inscribit quaestionem nonam: « An in regula minorum aequipollentia praeceptis obligent sub mortali » (116). Primo sex offert argumenta pro sententia negativa, postea tria proponit pro sententia affirmativa, tertio respondet argumentis duarum sententiarum, et postremo suam exponit doctrinam.

Argumenta pro sententia negativa. Silentium Nicolai III. Etsi Nicolaus III in regula versatus esset, quippe qui de illa cum fratri-

(114) *Ibid.*, loc. cit., p. 42ss.

(115) B. CHASSAING, OFM., *Sanctus Franciscus redivivus, regulae minorum quam Christo dictante condiderat, interpres*, Parisiis 1652, q. 8, p. 175-213. Quaestio intitulatur: « An sint aliqua praecepta in regula minorum obligatoria sub peccato mortali ».

(116) *Ibid.*, q. 9, p. 213-244.

bus et sancti Francisci sociis frequentes sermones habuerit, et ordinis protector factus, pleniorum de eadem cognitionem consecutus fuerit, tamen nullam praeceptorum aequipollentium mentionem facit in bulla *Exiit qui seminat*, per quam, ut ipsemet dicit, regulam et eiusdem obligationes voluit perfecte declarare.

Dubitationis factum. Clemens V asserit post bullam Nicolai III adhuc fratres dubitasse de pluribus ad regulam spectantibus et specialiter de praeceptis aequipollentibus. Ex hoc deducitur fratres nullam in eisdem admisisse obligationem.

Sancti Francisci verba. Romanus pontifex, in decretali *Exivi*, docet in regula contineri aliqua sub gravi obligantia, alia vero non, cum sanctus Franciscus non semper usus fuerit verbis praeceptivis vel aequivalentibus. Praecepta sic dicta aequipollentia non obligant sub gravi, quia seraphicus patriarcha ad ea recensenda non est usus verbis aequipollentibus praeceptis.

Opinio securior sequenda. Clemens V supponit expresse, ad evitandos conscientiae remorsus, opinionem securiorem esse sequendam in rebus quae spectant ad salutem, ideoque expedire ut fratres se agnoscant obligatos ad quaedam mandata sicut ad aequipollentia praeceptis. Sed, cum possit tuto teneri opinio tantum segura, immo minus segura, cum fratres non semper teneantur iis quae imperativo modo ponuntur, et cum non sit necessarium sed tantum conveniens ut fratres aequipollentibus praeceptis se noscant obligatos, sequitur praecepta aequipollentia non obligare sub mortali culpa.

« *Haec quae videri possunt aequipollentia praeceptis* ». Romanus pontifex, his verbis, non affirmat mandata ab eo recensita simpliciter et absolute aequipollere praeceptis, sed tantum ea *posse videri*. Ergo non obligant.

Praeceptorum dispensationes. Praecepta aequipollentia facile dispensantur (in equitatione, in calceamentis, in numero tunicarum, in vestium vilitate, in ieiuniis, etc.). Hoc demonstrat eadem sub gravi non imponi (117).

(117) *Ibid.*, loc. cit., p. 215-220.

Argumenta pro sententia affirmativa. Etsi ex his argumentis, ait Chassaing, aliquis cogitare possit praecepta aequipollentia non obligare, tamen contraria sententia « est magis probabilis et tenenda », ex triplici ratione.

Ex bulla Nicolai III « Exiit qui seminat ». Romanus pontifex proclamat fratres minores obligari ad ea consilia evangelica quae in regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus exprimuntur; quod datur in praeceptis aequipollentibus, nam duodecim illa mandata, ex vi verbi, vel saltem ratione materiae de qua agitur, vel ex utroque, verbis aequipollentibus praeceptis exprimuntur; hoc etiam admittitur a Clemente V.

Ex doctrina communi. Unanimis doctorum sententia in rebus moralibus « certam legum sub mortali obligationem declarat ». Regulae franciscanae expositorum unanimis sententia declarat praecepta aequipollentia sub gravi obligare, ideoque de facto et obligant.

Ex promissione observandi evangelium et regulam. Nicolaus III et Clemens V graves obligationes ex tribus regulae textibus deducunt, in quibus promittitur evangelium et regulam servare (118). Sed ex iisdem verbis colligitur et aequipollentium obligatio. Etenim fratres minores non tantum ad tria essentialia (ad vota), sed etiam ad praecipua evangelica consilia tenentur, quae etiam in aequipollentibus praeceptis continentur. Regula franciscana est perfectior et magis austera quam carthusianorum, camaldulensium et minimorum praecise quia imponit gravia mandata (119).

Postquam vero auctor argumenta contrariae sententiae refutavit (120), anceps adhuc remanet circa vim rationum ab eo allatarum

(118) En textus: « Regula et vita minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sino proprio et in castitate » (c. 1, p. 63); « Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et regulam observare » (c. 2, p. 65); « Paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promissimus, observemus » (c. 12, p. 74).

(119) CHASSAING, *loc. cit.*, p. 220-225. Cf. *Ibid.*, q. 8, p. 184ss., 190.

(120) *Ibid.*, q. 9, p. 225-232.

pro opinione obligationem sub gravi affirmante (121), proponens argumenta contra hanc sententiam (122). Postremo, ad hanc venit solutionem: « *Praecepta quae dicuntur aequipollentia obligant sub mortali non ex vi verborum regulae aut declarationum, sed ex vi consuetudinis* » (123). Non obligant ex vi verborum regulae, quia verba in regula adhibita, prout sonant, hoc non includunt. Nec ex vi verborum in declarationibus contentorum, quia, licet Clemens V asserat fratres sequi debere sententiam tutiorem, tamen terminis tam suavibus usus est antequam hoc statueret, « ut videatur ex illis nullam plane contineri obligationem sub mortali » (124).

Aequipollentia obligant sub mortali *ex consuetudine*. E. Rodericus autumat omnia regulae praecepta ex consuetudine sub gravi obligare (125). Haec autem opinio falsa est, si omnimode accipiat; sed vera est, si de aequipollentibus agatur. Hoc probatur sequentibus argumentis: 1) illa obligant sub mortali ex consuetudine, iuxta Suarezii et aliorum sententiam, in quibus omnes circumstantiae necessariae inveniuntur, scilicet: a) si materia consuetudinis est gravis et difficilis, et communiter servata est a populo; b) si viri timorati male loquuntur de iis qui consuetudinem non servant, vel populus scandalizatur; c) si praelati puniunt consuetudinis violatores; tria haec dantur in praeceptis aequipollentibus; 2) ante declarationem clementinam fratres angebantur gravibus conscientiae remorsibus, factique certi de praeceptorum aequipollentium sub mortali obligatione, immediate romani pontificis sententiae adhaeserunt, « quae signa sunt obligantia consuetudinis »; 3) inde a declaratione

(121) « Verum nostra haec sententia non est sic certa, quin eius argumenta aliquam habeant solutionem, quam hic apponere iudicavit [sic] » (*Ibid.*, p. 232).

(122) *Ibid.*, p. 232-237.

(123) *Ibid.*, p. 237s.

(124) *Ibid.*, p. 238. « Nec obstat quod idem Clemens dicat illam opinionem quod obligent, esse sequendam ad regulae rigorem et puritatem observandam; quoniam rigor regulae non est regula, sed quid superadditum, conforme tamen regulae, sicut rigiditas magni frigoris non est hyems, sed superadditum hyemi, eique valde conforme; sicut etiam puritas aquae eidem aquae » (*Ibid.*, p. 239).

(125) Cf. E. RODERICUS, *Quaestiones regulares et canonicae*, vol. I, Turnoni 1609, q. 26, a. 4, p. 170b-171b.

clementina omnes regulae expositores, sine haesitatione, admittunt praecepta aequipollentia sub mortali obligare; hoc demonstrat talem obligationem iam ab illo tempore esse receptam (126).

c) *Antonius Esquivel, OFM.*

Contra communem doctorum sententiam Esquivel autumat regulam franciscanam non obligare nec posse obligare sub mortali culpa. Cum eiusdem doctrinam iam alibi exposuerimus (127) et postea Fortunatus a Santiago, ampliores circa argumentum dederit notitias (128), haec pro nunc nobis sufficiant (129).

Antonius Esquivel, doctrinam sequens L. Miranda, affirmat sententiam veriolem ad regularum obligationes perpendendas eam esse quae has deducit « ex verbis per antiquam atque diutinam consuetudinem interpretatis et declaratis quod ex mente et intentione legislatoris obligent ad mortale vel ad veniale seu prorsus ad nullum peccatum » (130). Bulla clementina novas obligationes non imponit, sed tantum illas quas supponit in ordine existere per traditionem, determinat et declarat. Omnes vero regulae expositores admittunt eam obligare quia hoc asseruit Clemens V, ordinis traditionem de hoc argumento in bulla proclamans.

Sed erronee dicitur Clementem V affirmasse ordinis traditionem ad praecepta sub gravi in regula determinanda, quia romanus pon-

(126) CHASSAING, *loc. cit.*, p. 239-243.

(127) Cf. FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Origen de la obligatoriedad de la regla franciscana*, Roma 1956, p. 21-27, 37-41.

(128) FORTUNATO DE SANTIAGO, *Una polémica acerca de la regla franciscana a finales del siglo XVIII y principios del XIX - Antonio Esquivel y su doctrina*, in *Laurentianum* 6 (1965) 182-220; Id., *Doctrinas acerca de la regla franciscana en los siglos XVIII-XIX, y líneas fundamentales del sistema de Antonio Esquivel*, in *Laurentianum* 7 (1966) 321-358, 466-485.

(129) A. ESQUIVEL, OFM., *Exposición chronohistórica de la Regla de N. S. P. San Francisco*, En la Imprenta del Estado Chileno 1820. De operibus auctoris cf. FORTUNATO DE SANTIAGO, *Una polémica acerca de la regla*, *loc. cit.*, p. 194-199, in nota 49.

(130) Cf. L. MIRANDA, *Manuale praelatorum regularium*, vol. I, Placentiae 1616, q. 25, a. 2, p. 141b.

tifex tantum loquitur de traditione cum exponat hanc doctrinam, scilicet: quotiescumque in regula datur verbum *teneantur*, obtinere vim praecepti. Sed cum ille erronee putaverit verba praeceptiva in iure obligare sub gravi, consequenter papa (non vero ordinis traditio) hoc principium statuit: verbum *teneantur* imponere gravia mandata. Ex alia parte, multiplicibus argumentis demonstratur ante bullam clementinam non exstitisse hanc ordinis pro obligationibus gravibus traditionem. Et sic auctor ad hanc pervenit conclusionem: si decretalis *Exivi* non generat ex se graves obligationes; si unica ratio est ordinis traditio, hac ex diversis rationibus negata, debet stabiliri hoc principium: regulae franciscanae praescripta non obligare sub gravi culpa (131). Similem doctrinam tenent alii amici auctoris, ut Salvador Laín y Rojas, Antonius Maria Romero de los Dolores (132).

d) *Petrus ab Hernen, OFM. Cap.*

Auctor, circa añ. 1916-1917, publici iuris fecit (pro manuscripto) quemdam brevem tractatum de regulae obligationibus (133).

Tria principia, ut praenotanda, admittit: regulam franciscanam vitam rigidam praescribere et austeram, regulam ad unguem esse observandam, regulam sub gravi obligare ad ea quae sive iure divino positivo, sive iure naturali, sive iure ecclesiastico iam sub gravi imponantur. Sed quaeritur « utrum insuper omnino certum sit regulam seraphicam sub gravi obligare in illis omnibus, quae a multis eiusdem regulae expositoribus tam apodictice ut graviter obligantia proponuntur » (134).

Et responderi potest negative, cum argumenta ab expositoribus allata ad probandas graves obligationes, non sint clara, ita ut ea adduci non possint ad probandam non strictam, sed latam obliga-

(131) ESQUIVEL, *loc. cit.*, p. 20-38.

(132) Cf. FORTUNATO DE SANTIAGO, *Doctrinas acerca de la regla franciscana*, *loc. cit.*, p. 466-477.

(133) PETRUS [MEGENS AB HERNEN], OFM. Cap., *Dissertatio practica de regulae seraphicae obligatione*, [s. n. t.], [pro manuscripto].

(134) *Ibid.*, p. 3.

tionem, scilicet, ad venialem culpam vel ad poenam, ut in regulis aliorum religiosorum.

Ante bullam clementinam generaliter religiosi opinati sunt regulae mandata non obligasse per se sub gravi. Unicum argumentum ad probandas graves obligationes desumitur e decretali *Exivi de paradiso*. Sed de ea potest affirmari: 1) obligationes tam amplas (ut multi volunt) non esse omnino certas, etsi semel Clemens V loquatur de mortali transgressione, cum etiam addat vocabulum *expedit* antequam enumeret praecepta; 2) mandata a Clemente V recensita, revocata esse a Sixto IV per bullam *Circumspecta*, ubi dicitur romanos pontifices voluisse regulam tantum exponere, non vero nova imponere praecepta; et, si hoc fecissent, iterum esse revocata (135); 3) quatuor praecipua praecepta aequipollentia (id est, de tunicarum numero, de non portandis calceamentis et de non equitando sine necessitate, de vestibus vilibus induendis, de ieiuniis in regula indictis) (136), esse revocata a Clemente VIII per quoddam vivae vocis oraculum anno 1603 Francisco a Sosa, ministro observantium generali, prolatum, quodque usque ad hodiernum diem vim iuridicam habet; in eo expresse proclamatur haec quatuor praecepta regulae non obligare sub peccato. Contra hoc oraculum non potest dici numquam authentice esse publicatum vel ad praxim deductum, illud constituere regulae relaxativam vel dispensativam declarationem, sententiam communem hodiernam esse contrariam, ordinis contrariam consuetudinem (137). Auctor ad hanc pervenit conclusionem: non constare certo regulam franciscanam imponere per se obligationes graves, ideoque in praxi eas posse non admitti (138).

(135) Cf. SIXTUS IV, *Circumspecta apostolicae* (20 dec. 1480), in BF nova series III, p. 682b-683b. De hac constitutione vide MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *De constitutione « Circumspecta » Sixti IV*, in *Ius seraphicum* 2 (1956) 8-13.

(136) Paulo ante, auctor transcribit e bulla *Exivi* haec quatuor praecepta, et addit: « Deinde numerantur [in decretali] adhuc alia praecepta, sed minoris momenti, vel minoris praxis » (*Ibid.*, p. 6).

(137) *Ibid.*, p. 6-9.

(138) « Itaque certitudo de gravi obligatione regulae seraphicae valde dubie est incepta. Ergo hoc certam obligationem imponere nequit. Ipse Albertus Bulsanensis

e) *Andreas Boni, OFM.*

Nuperrime Andreas Boni quaestionem de regulae franciscanae obligatione investigat in quodam opere de hodierna institutorum religiosorum disciplina (139). Haec sunt quoad nos pro nunc dicenda.

Postquam auctor asseruit Clementem V taxative determinasse in regula franciscana contineri viginti quatuor praecepta gravia (140), sententias expositorum saeculi XIII de hac re exponit, doctrinis tunc temporis adhibitis illustratas (141). Hoc etiam proponit de doctrina commentatorum qui post tridentinum concilium de regula scripserunt, sive eorum qui autumant eiusdem obligationem exprimere sancti Francisci mentem (142), sive eorum qui hoc non admittunt (143).

Maximum problema, ait auctor, in hoc consistit, scilicet, an vere inveniatur iuridicum obligationis fundamentum. Argumenta usque nunc proposita (seraphici patris intentio, fundatoris intentio ab ordinis consuetudine interpretata, materia praecepta vel prohibita) non sunt valida. Ideoque ipsum fundamentum quaestionis remanet sub lite (144). Etenim leges quae libere assumuntur in societate iure naturali non necessaria, non obligant per se in conscientia (minus adhuc sub gravi), quia ratio peccati ad Deum tantum refertur; hae vero leges propria obligatione sunt destitutae, cum nec iure divino positivo vel naturali sint innisae, nec voti vel iuramenti vinculo aut aliquo iustitiae commutativae contractu sint roboratae. Insuper hae leges non possunt sub gravi obligare per pontificiam approba-

hoc etiam alibi (p. 177) confirmat dicens: non debent ligamina imponi, si non adest lex clara, quae illa imponit. Idem dicunt unanimiter omnes moralistae. Insuper gravis obligatio Clementis V, si data esset, postea sat certe est dempta, ita ut etiam satis certe non amplius graviter urget; imo iuxta probabilistas ... hoc etiam in casu si gravis obligatio, Clementi V tributa, tantum probabiliter cessaverat » (*Ibid.*, p. 12).

(139) A. BONI, *Disciplina religiosa e aggiornamento conciliare*, Roma 1967.

(140) *Ibid.*, p. 27, 29s.

(141) *Ibid.*, p. 35-45.

(142) *Ibid.*, p. 64-84.

(143) *Ibid.*, p. 84-91.

(144) *Ibid.*, p. 94s.

tionem, cum non sint necessitate medii vel praecepti ad salutem ordinatae (145).

Clementina decretalis in suo momento historico est perpendenda. Iuxta sententiam tunc admissam, professio religiosa spirituale inter Deum et religiosum constituit matrimonium, et regulae praecepta in votum transeunt. Sed cum haec doctrina longe fuerit superata, hodie non possunt admitti conclusiones practicae a decretali *Exivi de paradiso* propositae, sed sententiis iam derelictis innisae (146).

f) *Alii auctores*

H. Holzappel, erronee asserit usque ad bullam clementinam quaestionem de gravibus regulae mandatis non exstitisse, cum contrarium omnino constet, et hunc romanum pontificem esse primum omnium qui declaravit sanctum Franciscum intendisse sub gravi obligare (cum sententia contraria ex aliis prioribus fontibus comprobetur) (147).

Non ignoramus aliquos existere auctores qui anteactis temporibus de praeceptorum aequipollentium obligatione specialiter scripserunt, sed, post accuratam investigationem, eos non potuimus adire (148).

Ex omnibus quae hucusque diximus patet fere omnes regulae expositores admittere praecepta aequipollentia sub gravi obligare. Hanc communem doctrinam nonnulli reiciunt doctores aut quia autumant in legislatione franciscana non dari gravia mandata, aut quia

(145) *Ibid.*, p. 130s.

(146) *Ibid.*, p. 140s., 143.

(147) H. HOLZAPFEL, OFM. - G. HASELBECK, OFM., *Manuale historiae ordinis fratrum minorum*, Friburgi Brisgoviae 1909, p. 53. Cf. *Vita minorum*, series IV, 9 (1967) 84-90.

(148) V. gr. LUDOVICUS NICOLAS AB ANICIO, OFM. CONV., *Quaestiones et observationes in regulam S. Francisci*, Anicii 1685. In quaestione decima autumat praecepta aequipollentia non obligare sub mortali. Cf. GIOVANNI FRANCHINI DA MODENA, OFM. CONV., *Bibliosophia e memorie letterarie di scrittori francescani conventuali ch'hanno scritto dopo l'anno 1585*, Modena 1693, n. 252, p. 408.

directe sententiam contrariam de his praeceptis amplectuntur. Sed omnes hi auctores, ut suas defendant opiniones, ad bullam *Exivi de paradiso* Clementis V convolant. Videamus nunc quid de argumento haec doceat decretalis.

2. — BULLA « *Exivi de paradiso* » Clementis V

Ex dictis patet quomodo bulla *Exivi de paradiso* sit centrum ad stabilienda recta principia de regulae franciscanae natura iuridica. Ut antea vidimus, nolumus hic quaestionem generalem de regulae obligatione iuxta Clementem V considerare. Mens nostra ad aequipollentia tantum dirigitur praecepta.

Fratres dubitant utrum ex professione suae regulae teneantur ad omnia evangelica consilia vel tantum ad tria substantialia (scilicet, ad oboedientiam, castitatem et paupertatem) « et ad ea quae sub verbis obligatoriis ponuntur » (149).

Romanus pontifex, suorum praedecessorum sententiam amplectens, ait: vovens regulam non obligatur « ad ea consilia evangelica quae in Regula non ponuntur », cum votum debeat esse determinatum quoad materiam. Haec fuit sancti Francisci intentio, cum in regula nonnulla evangelica consilia memoret, quod superfluum esset, si ad omnia obligare voluisset (150). Ex alia parte, fratres obligantur non tantum ad tria substantialia evangelica consilia nude accepta, sed etiam ad omnia quae in regula ponuntur, quaeque sunt « pertinentia ad haec tria praedicta »; secus vane promitteretur regulam servare, cum ex hac promissione nulla nasceretur obligatio (151). Sed tamen sanctus Franciscus noluit ut fratres essent aequaliter obligati ad omnia quae exprimuntur in legislatione, modificent vel minus

(149) *Exivi*, a. 1, n. 1, p. 233.

(150) *Exivi*, a. 1, n. 2, p. 233s. Cf. F. ELIZONDO, *De evangelii et regulae franciscanae obligatione usque ad bullam « Exivi de paradiso » Clementis V (6 mai 1312)*, in *Laurentianum* 2 (1961) 233-239.

(151) *Exivi*, a. 2, n. 1, p. 234s.

tria vota, « quin potius aperte discernit quod quoad quaedam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, et quoad quaedam alia non: cum ad quaedam ipsorum verbum apponat praecepti vel aequipollentis eidem, et quoad aliqua verbis aliis sit contentus » (152).

Etenim in regula, praeter praecepta (153) et exhortationes seu monitiones (154), quae explicite ex vi verbi demonstrantur ut talia, habentur nonnulla quae inseruntur tantum simplici verbo imperativi modi, sive affirmativi sive negativi (155); et dubitant fratres utrum ad haec etiam teneantur, sicut « ad habentia vim praecepti » (hoc est, utrum sint practice praecepta necne, ideoque obligent sub mortali an non). Cum fratrum dubia augeantur ex declaratione Nicolai III (156), « supplicaverunt praedicti Fratres, ut ad ipsorum con-

(152) *Exivi*, a. 2, n. 2, p. 235. Cf. F. ELIZONDO, *De evangelii et regulae*, loc. cit., p. 239-247.

(153) « *Praecipio firmiter* fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant » (c. 4, p. 67); « *Unde firmiter praecipio* eis, ut obediant suis ministris » (c. 10, p. 72); « *Praecipio firmiter* fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria monacharum... Nec fiant compadres virorum vel mulierum » (c. 11, p. 73); « *Ad haec per obedientiam intungo* ministris, ut petant a domino papa unum de sanctae romanae Ecclesiae cardinalibus » (c. 12, p. 74).

(154) « *Quos moneo et exhortor*, ne despiciant neque iudicent homines... (c. 2, p. 65); « *Consulo vero, moneo et exhortor*... ut, quando vadunt per mundum, non litigent... » (c. 3, p. 67); « *Moneo quoque et exhortor* eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia... » (c. 9, p. 71); « *Moneo vero et exhortor* in Domino Iesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia... » (c. 10, p. 72).

(155) V. gr., « *Clerici faciant* divinum officium... *Laici vero dicant* viginti quatuor Pater noster pro matutino... *Et ieiunent* a festo omnium sanctorum... *Et non debeant* equitare... » (c. 3, p. 66s.); « *Fratres... laborent* fideliter et devote » (c. 5, p. 68); « *Fratres nihil sibi approprient* » (c. 6, p. 68); « *Fratres non praedificent* in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum » (c. 9, p. 71); « *Fratres, qui sunt ministri... visitent* et moneant fratres suos et humiliter et caritative corrigant eos » (c. 10, p. 71s.).

(156) « *Declaramus* quod ex professione eiusdem Regulae Fratres ipsi ad ea tantum Evangelica observanda consilia sunt adstricti, quae in ipsa Regula praeceptorie vel inhibitorie, seu sub diversis aequipollentibus exprimuntur » (NICOLAUS III, *Exiit qui seminat*, a. 1, n. 3, p. 189).

scientias serenandas declarare quae eorum censi debeant praeceptis aequipollentia ac obligatoria dignaremur » (157).

Et Clemens V celeberrimam profert solutionem quae de facto radicaliter omnes posteriores de argumento sustulit disceptationes a saeculo XIV ad nostra usque tempora, paucissimis auctoribus exceptis.

En solutio, a nobis accurate perpendenda (158):

- [1] « Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in his quae animae salutem respiciunt, ad vitandos gravantes remorsus consulte pars securior est tenenda:
- [2] dicimus quod licet Fratres non ad omnium quae sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, sicut ad praeceptorum seu praeceptis aequipollentium observantiam teneantur,
- [3] expedit tamen ipsis Fratribus, ad observandam puritatem Regulae et rigorem, quod ad ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, quae hic inferius annotantur.
- [4] Ut autem haec, quae videri possunt aequipollentia praeceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiae de qua agitur, seu ex utroque, sub compendio habeantur, declaramus quod illud quod ponitur in Regula:
- [5] De non habendo plures tunicas quam unam [sequitur praeceptorum enumeratio, a nobis in initio articuli transcripta. Et concludit:]
- [6] item, Ordo communiter sensit, tenet et tenuit ab antiquo quod ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum *teneantur*, obtinet vim praecepti, et servari debet a Fratribus sicut tale » (159).

Animadvertendum est imprimis hic agi de praeceptis aequipollentibus, quae *sub gravi* fratribus imponuntur. Etenim, si auctores saeculi XIII perspiciantur et fratrum disceptationes rite perpendantur, non potest hoc in dubium revocari, cum agatur de iis quorum ex vi verbi praecepti vel aequipollentis eidem « transgressio est mor-

(157) *Exivi*, a. 3, n. 1, p. 235s.

(158) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 236ss. Ad maiorem rei claritatem et ad citationes abbreviandas in distinctos numeros Clementis V solutionem dividimus.

(159) Ut antea diximus, non agimus de praeceptis virtualibus, in hac clausula recensitis.

talis » (160). Hoc etiam eruitur ex fonte decretalis, scilicet, ex relatione commissionis ad eam praeparandam, ubi explicitè dicitur mandata verbis aequipollentibus (id est, praecepta aequipollentia) praescripta obligare *sub gravi* (161).

Igitur sententia illorum auctorum qui caute vel cautius tenent in bulla *Exivi de paradiso* quoad aequipollentia non affirmari obligationem *gravem*, est omnino reicienda, utpote sententias doctorum saeculorum XIII-XIV ignorans et veris argumentis non fulta.

a) *Immediatum obligationis fundamentum*

Hanc gravem praeceptorum aequipollentium obligationem, sicut et ceterorum regulae praeceptorum, Clemens V radicaliter deducit ex voto professionis, cum non solum ad tria vota nude accepta obligentur fratres, sed ad omnia quae sunt « pertinentia ad haec tria praedicta » (162). Haec est explicita sententia doctorum commissionis, ad quam, in casu dubii, trahenda est decretalis (163); sententia quae intime cohaeret cum doctrinis saeculi XIII generaliter receptis de primario obligationum legislationis fonte (164).

Sed gravis praeceptorum aequipollentium obligatio *immediate* deducitur ex triplici fonte, scilicet, ex vi verbi adhibiti, ex materia

(160) *Exivi*, a. 2, n. 2, p. 235.

(161) « Ad ea tantum horum que in ipsa Regula preceptorie vel inhibitorie seu *sub verbis aequipollentibus* exprimuntur, tenentur [fratres] tentione necessitatis, cuius *transgressio obligat ad mortale* » (*Relatio commissionis*, p. 159).

(162) *Exivi*, a. 2, n. 1, p. 234.

(163) « Videtur nobis dicendum quod fratres dicti Ordinis ex voto professionis sue teneantur ad observantiam trium votorum que nominatim promittunt, scilicet obedientie, paupertatis et castitatis, non solum absolute sed sub modis quibus Regula eorum hec tria prosequitur, ita quod ex voto paupertatis et castitatis teneantur ad omnia que Regula ipsa tangit ad illa duo pertinentia... Eodem modo tenentur etiam ad alia non spectantia ad predicta duo vota, que in eadem Regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur » (*Relatio commissionis*, p. 159s.).

(164) Cf. F. ELIZONDO, *De evangelii et regulae franciscanae obligatione usque ad bullam « Exivi de paradiso » Clementis V (6 mai 1312)*, in *Laurentianum* 2 (1961) 247-256.

praecepta vel prohibita, aut ex utroque (n. 4). Obligatio *immediata* ad hoc potest reduci: ad criteria stabilienda ut distingui possit quae-
nam in regula sint praecepta quae-
nam vero non; illa tamen radica-
liter ex voto professionis obligant.

Hi tres fontes immediati iam a commissione peritorum his ver-
bis fuerant recensiti: « Que sunt, prout nobis videtur vel ratione
forme verborum vel ratione materie vel ratione utriusque secundum
infra determinationes scriptas, ista » (165). Sed doctores commissio-
nis haec criteria explicite extendunt ad omnia in regula contenta,
ut ex illis specificentur quae-
nam in illa sint praecepta, sive expressa
sive vim habentia sive aequipollentia. Clemens V autem tres fontes
tantum memorat ad haec ultima mandata rite stabilienda, etsi impli-
cite eos admittat ad reliqua praecepta inquirenda; immo antea dixe-
rat generice in regula haberi gravia mandata « ex vi verbi » prae-
cepti vel aequipollentis eidem (166).

I. — *Primus immediatus fons*: « ex vi verbi ». Primus imme-
diatus fons, iuxta mentalitatem saeculi XIII est perpendendus. Tunc
temporis admittebatur vera praecepta sub gravi obligare (167). Ad
cognoscenda vero regularum praecepta, considerabantur praecipue,

(165) *Relatio commissionis*, p. 160.

(166) *Exivi*, a. 2, n. 2, p. 235. De fontibus constitutivis peccati mortalis et
venialis deque Clementis V per bullam *Exivi de paradiso* influxu vide E. MOORE,
S.I., *Principios constitutivos de la materia leve*, in *Archivo teológico granadino* 18
(1955) 5-62; Id., *Textos inéditos de la escuela salmantina sobre los principios
constitutivos de la materia leve*, in *Archivo teológico granadino* 18 (1955) 165-231.

(167) V. gr., BERNARDUS I, *Speculum monachorum*, Friburgi Brisgoviae 1901,
p. 97-106; HUMBERTUS DE ROMANIS, O.P., *Opera de vita regulari*, vol. I (ed.
I. I. BERTHIER, Romae 1888) p. 62-65; G. PEYRAUT, O.P., *Tractatus de professione
monachorum* (ed. B. PEZ, *Thesaurus anecdotorum novissimus*, vol. I, Augustae
Vindelicorum 1721, pars II, col. 567-650) pars I, c. 10, col. 604; S. THOMAS,
II-II, q. 186, a. 9; IOANNES DUNS SCOTUS, *In secundum librum Sententiarum*,
distinctio 21, q. 1 (ed. L. VIVES, vol. XIII, Parisiis 1893, p. 135); QUATUOR MA-
GISTRI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. L. OLIGER, Roma 1950)
c. 2, p. 127; HUGO DE DIGNA, *Expositio regulae fratrum minorum* (ed. *Firmamen-
tum*, pars III) c. 2, fol. 33vb, 35ra; UBERTINUS DE CASALE, *Super tribus sceleribus*
(ed. A. HEYSSE, in *AFH* 10 [1917]) p. 146s., 162 s.

non unice, verba in legislatione adhibita, ita ut ex vi verborum, nisi aliunde contrarium constaret (168), et legislatoris intentio et regularum obligatio panderentur.

In hac theoria, forsitan haec latebat sententia, scilicet, praecipuum obligationum immediatum fontem esse *voluntatem praecipientis*, qui mentem suam proponebat per verba in legislatione recensita, hoc est, per verbum *praecipio*, *iniungo*, *praecipio per oboedientiam*, *sub excommunicatione*... Ipsemet Clemens V, ut videtur, hoc etiam admittit, cum affirmet praecepta aequipollentia obligare « ex vi verbi, vel *saltem* ratione materiae » (n. 4), ac si ageretur de fonte minus principali.

Ideo romanus pontifex, sancti Francisci mentem exprimens, asserit fratres minores ad omnia in regula contenta non esse aequaliter obligatos, cum *ex vi verborum* eruatur aliqua sub gravi debere observari (scilicet, ea quae sub termino *praeceptum* vel eidem *aequipollens* statuebantur), alia vero non (169).

Ex fontium saeculi XIII attendita perquisitione potest affirmari fratres minores non dubitasse de mandatis sub verbis explicite praeceptoriiis propositis (*praecipio*, *iniungo per oboedientiam*), immo, nec de iis quae sub termino *teneri* imponebantur, cum iam anno 1230 Gregorius IX admisisset fratrum sententiam asserentem ordinis sodales « ad ea, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie sunt expressa » consilia evangelica *teneri* (170). Hoc etiam eruitur a decre-

(168) Fratres ordinis praedicatorum, in capitulo generalissimo anni 1236, Parisiis celebrato, hoc promulgarunt statutum: « Item confirmamus hanc constitutionem: Quod in constitutionibus, ubi dicitur *Ea propter unitati et paci*, etc., volumus et declaramus ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam sed ad poenam, nisi propter contemptum vel praeceptum » (*Acta capitulorum generalium ordinis praedicatorum*, vol. I (in *Monumenta ordinis fratrum praedicatorum historica*, vol. III) p. 8.

(169) *Exivi*, a. 2, n. 2, p. 235. Sed iam saeculo XVI multi auctores salmanticensis contrariam omnino sententiam tenent, scilicet, gravitatem vel parvitatem legis vel mandati pendere non a legislatoris intentione, sed a natura et qualitate materiae. Cf. E. MOORE, *Principios constitutivos de la materia leve*, in *Archivo teológico granadino* 18 (1955) 37-62.

(170) GREGORIUS IX, *Quo elongati* (28 sept. 1230) p. 21 (ed. H. GRUNDMANN, in *AFH* 54 [1961]). Idem docent Innocentius IV in bulla *Ordinem vestrum* (14

tali *Exivi de paradiso*, cum aperte dicat: « Item, Ordo communiter sensit, tenet et tenuit ab antiquo quod ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum *teneantur*, obtinet vim praecepti, et servari debet a Fratribus sicut tale » (171).

Sed vera difficultas versabatur circa ea quae simplici imperativo modo proponebantur. Hinc discussiones et diversae sententiae, quibus romanus pontifex voluit viam praecludere. Contra quorundam spiritualium doctrinam docet fratres minores non obligari (sub gravi) ad omnia quae imperativo modo in regula inseruntur (n. 2), sed tantum ad ea quae inferius recensentur.

Ex vi verborum, praecepta aequipollentia generaliter proponuntur sub simplici modo imperativo: *mittant, examinent, dicant, concedant, habeant, possint* portare calceamenta, vestibus vilibus *induantur* (in capite secundo regulae); *faciant, ieiument, non debeant* (c. 3); sollicitam curam *gerant* (c. 4), *debent* (c. 6), *non praedicent* (c. 9), *debeant* recurrere (c. 10). In duobus casibus, verbis gravibus imponuntur: « et *caveant* fratres ... ne solliciti sint de rebus suis temporalibus » (c. 2), « et nullus fratrum populo *penitus audeat* praedicare, nisi... » (c. 9). Hic ultimus casus videretur terminologia fortiori proponi quam ea quae in praeceptis virtualibus adhibetur (*teneantur*); nihilo secius saeculo XIII, quoad regulam franciscanam, verba *praecipere-teneri* magis explicita considerabantur ad vera praecepta stabilienda, quod etiam confirmatur ex bulla *Exivi* (n. 6).

Inter casus a Clemente V ut praecepta non memoratos, habentur nonnulli qui in regula simili terminologia exprimuntur, v. gr. « fratres... *laborent* fideliter et devote » (c. 5); « fratres, qui sunt ministri... *visitent* et *moneant* fratres suos et... *corrigant* eos » (c. 10).

2. — *Secundus immediatus fons*: « *saltem ratione materiae* ». Secundus obligationum immediatus fons respicit materiam praescri-

nov. 1245) (ed. EUBEL, *Epitome*) p. 238a; et Nicolaus III, in decretali *Exiit qui seminat* a. 1, n. 3, p. 189. Cf. F. ELIZONDO, *De praeceptorum numero in regula fratrum minorum disquisitio historica*, in *Collectanea franciscana* 37 (1967) 250-285. (171) *Exivi*, a. 3, n. 2, p. 238.

ptam vel prohibitam: praecepta aequipollentia obligant « saltem ratione materiae de qua agitur » (n. 4). Iam diximus quomodo hic loquendi modus forsitan significet fontem non tantum secundum, sed etiam et secundarium relate ad primum, cum, ut videtur, illo tempore magis mens legislatoris per verba expressa perpendebatur quam materia ab eo praescripta.

Inter praecepta aequipollentia recensentur nonnulla quae *ratione materiae* sub gravi obligant: *a*) ex lege vel consuetudine ecclesiastica, ut annus noviciatus, ieiunium, officii divini recitatio, praedicatio episcopo contradicente; *b*) ex ipsa lege naturali, ut sollicita ministrorum cura pro infirmorum necessitatibus sublevandis et aliis fratribus induendis, accurata fratrum erga infirmos sollicitudo.

Si hoc intime perpendamus, non apparet ratio cur Clemens V alia praecepta *ratione materiae* non enumeret; exempli gratia: *a*) mandatum de labore (172), cum primi regulae expositores, etsi dubitanter, iam hoc admiserint (173), et immediate ante bullam *Exivi* Ubertinus a Casale idem propugnaverit (174), immo etiam et doctores commissionis ad decretalem praeparandam adhibiti (175); forsitan hoc non admisit, quia communitas ordinis, doctrinis sancti Bonaventurae suffulta, huic sententiae erat contraria (176); *b*) mandatum ministris factum fratres visitandi et corrigendi, quod est maximi momenti pro bono generali familiae religiosae (177), cum insuper

(172) « Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote » (c. 5, p. 68).

(173) QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam fratrum minorum* (ed. L. OLIGER, Roma 1950) c. 5, p. 149.

(174) « "Fratres laborent fideliter". Constat enim ista fuisse sub precepto per consultationem et Pape declarationem; si enim Fratres ista reputassent monitoria, de hoc inter se ordinassent, nec Papam consulissent; item nec Papa in sua declaratione ponderasset hec tantum » (UBERTINUS DE CASALE, *Super tribus sceleribus*, ed. A. HEYSSE, in AFH 10 [1917] p. 134).

(175) *Relatio commissionis*, p. 161.

(176) A. CHIAPPINI, OFM., *Communitatis responsio « Religiosi viri » ad « Rotulum » fr. Ubertini de Casali*, in AFH 7 (1914) 654-675, 8 (1915) 56-80. Cf. p. 62s.

(177) *Regula*, c. 10, p. 71s. Visitatio canonica hodie praescribitur in canone 511.

doctores commissionis putaverint hoc aequipollere praecepto (178); c) interdictio ministris facta ut non nisi idoneis licentiam darent missiones adeundi, cum etiam hoc periti commissionis ut praeceptum habuerint, de materia momentosa agatur et simili terminologia aliorum aequipollentium praeceptorum seraphicus pater usus fuerit (179).

Omnia haec certe magis ad ius naturale quam regulare respiciunt; sed, etiam hoc perpendendum, et sollicita fratrum cura et accurata erga infirmos sollicitudo.

Postremo, Clemens V forsitan inter praecepta aequipollentia enumeret vestium parvitatem et vilitatem etiam *ratione materiae*, cum hoc explicite ab aliquibus esset admissum, ut ab Hugone de Digna (180) et ab Ubertino de Casale (181).

3. — *Tertius immediatus fons: ex vi verbi et ex materia.* Tertius obligationum fons ex unione duorum priorum resultat, vel, ut ait Clemens V, « seu ex utroque » (n. 4), sive, ut censet peritorum commissio, « vel ratione utriusque » (182).

Ex quibus verbis videntur tam commissionis doctores quam romanus Pontifex non esse sufficienter tuti de duobus primis fontibus separatim sumptis, et sic explicatur cur nonnulla in regula recensita praecepta exprimantur, de aliis vero sileatur, v. gr., de petenda elemosyna (183), de salutatione a fratribus facienda (184).

Caput decimum nobis offert exemplum typicum, a romano pontifice forsitan non omnimode recte solutum, si ad hoc tertium obliga-

(178) *Relatio commissionis*, p. 162.

(179) *Regula*, c. 12, p. 74. *Relatio commissionis*, p. 162.

(180) HUGO DE DIGNA. *De finibus paupertatis* (ed. C. FLOROVSKY, in AFH 5 [1912] 277-290) p. 283, 288.

(181) UBERTINUS DE CASALE, *Super tribus sceleribus* (ed. A. HEYSSE, in AFH 10 [1917]) p. 134.

(182) *Relatio commissionis*, p. 160.

(183) « Fratres nihil sibi approprient, nec domus nec locum nec aliquam rem [*praeceptum*]. Et tamquam peregrini et advenae... vadant pro elemosyna confidenter [*non est praeceptum*] » (c. 6, p. 68).

(184) « In quacumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui » (c. 3, p. 67). Cf. QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam* (ed. L. OLIGER, Roma 1950) c. 3, p. 139.

tionum fontem mentem revocemus. Ait regula: « Fratres, qui sunt ministri... *visitent* et *moneant* fratres suos et... *corrigan*t eos... Et ubicumque sunt fratres ... ad suos ministros *debeant* et *possint* recurrere » (c. 10, p. 71s.). In his clausulis, iuxta commissionis doctores, duo recensentur praecepta: *visitatio-correctio* et *recursus ad ministros* (185); Clemens V vero admittit tantum secundum et silet omnino de primo (n. 5). Sed si simul terminologiam et materiam praeceptam consideremus, primum praeceptum videretur esse admittendum potius quam secundum.

Ex omnibus quae hucusque diximus circa obligationum fontes patet romanum pontificem non semper lineam secutum esse continuatam, sed mediam viam ingressum esse, magis practicam, inter opiniones tam agitatae, a communitate et a spiritualibus propugnatae. Profecto, ante enumerationem praeceptorum aequipollentium ex tribus fontibus deductorum, Clemens V, et hoc apprime notandum est, non affirmat absolute haec esse praecepta certa, sed tantum « haec, quae *videri possunt* aequipollentia praeceptis » (n. 4), cum et alia habeantur in regula quae simili, eodem vel meliori titulo, ut exposuimus, *videri possint* etiam aequipollentia praeceptis, et tamen non sunt recensita. Hoc forsitan explicatur ex eo quod ipse romanus pontifex aliquando anceps inter utramque opinionem (communitatis scilicet et spiritualium) manserit et non fuerit pro praxi omnimode tutus suarum opinionum in bulla expressarum.

b) « *Consulte pars securior est tenenda* »

Clemens V, antequam suam proponat practicam viam circa obligationem et numerum praeceptorum aequipollentium, statuit iuridicum principium attente perpendendum: a) « quod in his quae animae salutem respiciunt, b) ad vitandos gravantes remorsus, c) consulte *pars securior est tenenda* » (n. 1).

Dubitationes et anxietates de regulae obligatione per totum saeculum XIII permanserunt. Etenim immediate post mortem sancti

(185) *Relatio commissionis*, p. 162.

Francisci exortae sunt magnae de regula discussiones quae fratrum conscientias perturbabant, ut colligi potest ex bulla *Quo elongati* Gregorii IX (186) et ex primis regulae commentatoribus (187); anxietates quae per saeculum XIII protractae sunt, ut scite comprobatur ex decretalibus *Ordinem vestrum* Innocentii IV (188), *Exiit qui seminat* Nicolai III (189), ex doctorum sententiis (190) et ex magna disceptatione habita ante clementinae decretalis promulgationem.

Profecto, aderant fratres plus aequo proclives ad augmentandas graves legislationis obligationes, rigidiores eiusdem observantiam tenentes et graviter fratrum conscientias perturbantes. Ideo, etiam post momentosas pontificias declarationes saeculo XIII promulgatas, fratres adhuc petunt a Clemente V ut regulae praecepta declaret « *ad ipsorum conscientias serenandas* » (191). Immo, romanus pontifex, suaviter sed forsitan non simpliciter, ait: « Verum quia plerumque ubi culpa non est, eam esse timere solent conscientiae timoratae, quae in via Dei quodcumque devium expavescunt, non sunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium Fratrum conscientiae quietatae » (192).

Ut solveret difficultates et graves evitaret conscientiae remorsus, hoc statuit iuridicum principium: *pars securior est tenenda*. Hoc non erat in iure ignotum, cum eidem similia haberentur principia in decretalium authentica et exclusiva Gregorii IX collectione: « in du-

(186) « Unde que tecta sunt aliis, in conscientis vestris quandoque spiritus manifestat, sed splendore intelligentie spiritalis caligine humane infirmitatis obducto scrupulus interdum dubitationis inducitur et difficultates quasi inextricabiles ingeruntur » JGREGORIUS IX, *Quo elongati*, ed. H. GRUNDMANN, in AFH 54 [1961] p. 20.

(187) QUATUOR MAGISTRI, *Expositio super regulam* (ed. L. OLIGER, Roma 1950) *Prologus*, p. 124.

(188) INNOCENTIUS IV, *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245), in EUBEL, *Epitome*, p. 238a-239b.

(189) NICOLAUS III, *Exiit qui seminat* (14 aug. 1279) a. I, p. 186-190.

(190) Cf. FIDEL [ELIZONDO] DE PAMPLONA, *Origen de la obligatoriedad de la regla franciscana*, Roma 1956, p. 89-124.

(191) *Exivi*, a. 3, n. 1, p. 236.

(192) *Exivi*, prologus, n. 2, p. 231.

biis via est tutior eligenda » (193); « in dubiis semitam debemus eligere tutiorem » (194); « in his, quae dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus » (195) et alia (196). Alexander de Hales (197), sanctus Bonaventura (198), Ioannes Duns Scotus (199) et alii auctores illius temporis, in casibus particularibus securiorem sententiam amplexi sunt (200). Sed in libro sexto decretalium recensentur etiam quaedam sollemniora principia his contraria et ut regulae iuris generales adhibita (201): « in obscuris minimum est sequendum » (202); « cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori » (203); « odia restringi, et favores convenit ampliari » (204).

Principium a Clemente V expressum, a Clemente VII, in bulla *In suprema militantis*, qua concedebatur nonnullis fratribus licentia

(193) C. 5, X, V, 27 (ed. AE. FRIEDBERG, *Corpus iuris canonici*, vol. II, Lipsiae 1881, col. 830).

(194) C. 12, X, V, 12 (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 798).

(195) C. 3, X, IV, 1 (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 661).

(196) C. 3, X, III, 43 (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 649); c. 18, X, V, 12 (ed. FRIEDBERG, col. 801); c. 24, X, V, 12 (ed. FRIEDBERG, col. 803s.).

(197) ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, liber II, pars II, inquisitio 3, tractatus 2, sectio 1, quaestio 2, titulus 1, caput 8 (ed. *Doctoris irrefragabilis Alexandri de Hales, ordinis minorum, Summa theologica*, vol. III, Ad Claras Aquas 1930) n. 325, p. 332b.

(198) S. BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros sententiarum*, liber IV, distinctio 17, pars III, articulus 2, quaestio 1, ad quartum (ed. S. BONAVENTURA, *Opera omnia*, vol. IV, Ad Claras Aquas 1889) p. 458b.

(199) IOANNES DUNS SCOTUS, *In primum librum sententiarum*, prologus, quaestio 2 (ed. L. Vivès, vol. VIII, Parisiis 1893) n. 15, p. 113ab (editio critica: *Ordinatio*, prologus, pars II, ad tertium, in *Opera Omnia*, vol. I, Civitas Vaticana 1950, p. 87); Id., *In tertium librum sententiarum*, distinctio 25, quaestio 1 (ed. L. Vivès, vol. 15, Parisiis 1894) n. 23, p. 73b.

(200) Cf. O. LOTTIN, O.S.B., *Le tutorisme du treizième siècle*, in *Recherches de théologie ancienne et médiévale* 5 (1933) 292-301.

201) Cf. V. BARTOCETTI, *Le regole canoniche di diritto in relazione al codice piano-benedettino*, Roma 1939.

(202) Regula iuris 30 in VI° (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 1122). Cf. BARTOCETTI, *op. cit.*, p. 102-105.

(203) Regula iuris 11 in VI° (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 1122). Cf. BARTOCETTI, *op. cit.*, p. 59ss.

(204) Regula iuris 15 in VI° (ed. FRIEDBERG, *op. cit.*, col. 1122). Cf. BARTOCETTI, *op. cit.*, p. 68-72.

observandi strictius regulam, denuo iisdem verbis est memoratum (205). Et non semel regulae expositores eandem secuti sunt viam ad solvendas legislationis franciscanae difficultates. Ut aliqua afferamus exempla, Sanctes a Roma, OFM. Cap., existimat esse praecepta non tantum quae imposita sunt per verba praeceptiva, sed etiam per verba consilii, si de materia gravi et momentosa agatur (206). Et Philippus a Castelluccio affirmat fratres minores graviter ex regula teneri ad observanciam quadagesimam maiorem, « essendo questa non soltanto la più sicura, ma la più probabile, e comune sentenza » (207). Et capitulum generale fratrum minorum, Mantuae anno 1762 celebratum, ordinat theologiae lectoribus aliisque omnibus fratribus ut « doctrinas tutiores et probabiliores semper doceant et amplectantur » (208), et in specie cum seraphicam explanent regulam (209).

(205) « Attendentes etiam quod in his, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos gravantes remorsus, pars securior est tenenda » (CLEMENS VII, *In summa militantis*, 16 nov. 1532, in L. WADDINGUS, *Annales minorum*, ed. 3, vol. XVI, Ad Claras Aquas 1933, p. 380.

(206) « Alla ragione di quelli, che, dicono non esser di precetto [quadagesima maior], si risponde esser vero, che la Regola non usa esplicitamente parole di comandamento; ma le usa implicitamente, et dato sed non concesso, che non usasse parole di precetto, ma di consiglio, dico, che *le parole consultorie in materia grave, ed importante sempre sono precettive*, come si cava da molte leggi » (SANTI THESAURO ROMANO, *Esposizione sopra la regola del serafico padre S. Francesco*, Roma 1614, c. 3, p. 162.

(207) FILIPPO DA CASTELLUCCIO, *Dichiarazione letterale e morale de' precetti che si contengono nella regola de' frati minori di S. Francesco*, vol. II, Bologna 1759, quintum praeceptum, a. 9, p. 210.

(208) *Capitulum generale octogesimum quintum* (Mantuae 1762), in *Chronologia historico-legalis*, vol. IV, Romae 1795, p. 450ab. Vide litteram circularem ministri generalis Petri Ioannetii de Molina, 4 octobris 1762 subsignata (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. IV, p. 470a).

(209) « Maxime quoque inculcatum est (sc. in capitulo generali et litteris encyclicis R.mi. P. Ministri generalis) circa nostram s. Regulam, ut intrudendae in eam non sint explicationes minus probabiles, sed sequendae, tenendae ac tradendae magis probabiles » (ed. J. REINHOLD, OFM., *Zum Streit um die Moral-systeme des Probabilismus und Probabiliorismus bei den sächsischen Franziskanern im 18. Jahrhdt.*, in *Franziskanische Studien* 21 [1934] 109-124) p. 114. Cf. A. M. LUNARDI, OFM., *Padre Geremia Mioni da Padova*, OFM., *Vita e opere*, Roma 1951, p. 65-77.

Sed, ut omnibus notum est, pluribus abhinc saeculis, ad evitandos conscientiae remorsus non est necessarium ut ad praxim deducantur sententiae securiores vel tutiores, immo nec probabiliores, sed tantum probabiles, iuxta rectam systematis moralis probabilismi interpretationem (210). Principium, a Clemente V propositum relate ad regulae obligationes, hodie est omnino reiiciendum, cum in rebus quae ad animae salutem respiciunt possimus partem minus securam, minus tutam, sed probabilem amplecti. Tamen, etsi principium in bulla *Exivi* relatum hodie non possit admitti, apprime perpendendum est quid de regulae praescriptionibus statuatur Clemens V, hoc fundamento suffultus.

c) « *Expedit... ad observandam puritatem regulae et rigorem* »

Postquam Clemens V fundamentum iuridicum proclamavit, videlicet, partem securiorem esse sequendam in illis rebus quae ad animae salutem spectant, ut hoc modo evitentur graves conscientiae remorsus, suam argumenti offert solutionem « ad observandam puritatem regulae et rigorem » (n. 3).

I. — *Regulae puritas et rigor*. Romanus pontifex in bulla non semel normas concretas proponit ut voti puritatem, status puritatem, ordinis puritatem fratres melius observent. Sic cum loquitur de pecunia non recipienda « contra Regulam vel sui Ordinis puritatem » (211), cum de examine eorum agit quae videntur voto expropriationis et « puritati Ordinis repugnare » (212), cum de litibus evitandis sermonem facit ut « puritati satisfaciant voti sui » (213), cum prohibet hereditates acceptare, nam, etsi « ex natura sua indifferenter ad pecuniam et etiam ad alia mobilia et immobilia se extendunt, con-

(210) Cf., v. gr., TH. DEMAN, *Probabilisme*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, ad verbum, Paris 1936, col. 417-619; M. ZALBA, S.I., *Theologiae moralis compendium*, vol. I, Matriti 1958, n. 671-703, p. 379-406, cum bibliographia ibi recensita.

(211) *Exivi*, a. 7, n. 1, p. 243.

(212) *Exivi*, a. 8, n. 1, p. 246.

(213) *Exivi*, a. 11, p. 251.

siderata sui puritate voti nullatenus sunt capaces » (214), cum fratres vetat acceptare testamentorum executiones « considerata sui puritate status » (215), cum fratribus interdicit in quibusdam casibus habere hortos et vineas (id est, quando datur finis lucrativus), nam hoc « repugnat suae Regulae et Ordinis puritati » (216).

Ex alia parte aliquando Clemens V appellat ad superiorum conscientias, videlicet, loquens de vestium vilitate ab eisdem diiudicanda « eorum super hoc conscientias onerantes » (217), de granariorum et cellariorum necessitate a superioribus perpendenda « eorum super hoc specialiter conscientias onerantes » (218), de aliquorum provincialium ministrorum electione sine dolo facienda « super quo eorum conscientias oneramus » (219).

Quae omnia regulae rigorem sapiunt. Puritas regulae et rigor in non paucis aliis quaestionibus apparet. Tantum duo exempla proponimus: praeceptum de officio divino recitando et necessitas a superioribus perpendenda ut possint fratres calceamenta portare.

In primo casu, doctores commissionis ad bullam praeparandam adsciti silent de praecepto officii divini a clericis recitandi et de officio laicorum (220); Clemens V, etsi hoc ultimum non memoret, tamen proclamat recitationem officii clericorum esse praeceptum aequipollens (n. 5). In secundo casu, regula simpliciter ait: « Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta » (221). Iuxta eam, ut videtur, necessitas debet a fratribus perpendi. Statuta tamen generalia narbonensia (1260), assisiensia (1279) et parisiensia (1292) praescribunt ut nullus frater incedat calceatus, « nisi cuius evidens necessitas fratribus innotescit, vel per guardianum suum est coram

(214) *Exivi*, a. 9, n. 1, p. 249.

(215) *Exivi*, a. 12, p. 251.

(216) *Exivi*, a. 13, p. 252.

(217) *Exivi*, a. 5, n. 2, p. 241s.

(218) *Exivi*, a. 14, p. 253s.

(219) *Exivi*, a. 19, n. 3, p. 259.

(220) *Relatio commissionis*, p. 161.

(221) *Regula*, c. 2, p. 65.

fratribus sufficiens iudicata » (222). Commissionis doctores ad regulae textum convolant: « Per hec verba credimus prohiberi sub precepto, qui necessitate non coguntur, portare calceamenta » (223). Romanus pontifex vero, iuxta regulae rigorem, dicit hanc necessitatem non a fratribus, sed a superioribus esse iudicandam (224).

Commissionis periti non semper eodem modo loquuntur ad significanda regulae praecepta, nam aliquando sine ulla dubitatione ea admittunt, ut in praeceptis expressis seu eminentibus (225); aliquando utuntur verbis *credimus* aut *putamus*, quae minoris sunt vigoris, ut in mandatis de calceamentis non portandis (226), de ieiuniis (227), de sollicita superiorum cura pro fratribus induendis et infirmis sublevandis (228), de accurata erga infirmos sollicitudine (229), de recursu in peccatis reservatis (230), de prohibitione praedicandi episcopo contradicente (231), de contionatorum examinatione et approbatione (232), de fratrum visitatione et correctio-

(222) *Statuta generalia ordinis edita in capitulis generalibus celebratis Narbonae an. 1260, Assisii an. 1279 atque Parisiis an. 1292* (ed. M. BIHL, in AFH 34 [1941] rubrica 2, n. 8, p. 43, 45).

(223) *Relatio commissionis*, p. 161. « Videtur nobis quod fratres non possint portare calceamenta, nisi necessitate cogente » (*Relatio commissionis*, p. 164).

(224) « Quorum etiam Ministrorum, Custodum et Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus pro qua necessitate possint Fratres calceamenta portare » (*Exivi*, a. 5, n. 3, p. 242).

(225) « Hoc est preceptum expressum » [pecunia interdicta]; « Hic est explicatio voti expresse obligans » [expropriatio]; « Hoc est indubitanter preceptum » [oboedientia superioribus praestanda]; « Hic continentur tria precepta expressa » [in capite undecimo regulae recensita]; « Hoc est evidenter preceptum » [cardinalis protector] (*Relatio commissionis*, p. 161ss.). Haec omnia a Clemente V supponuntur ut praecepta certa ideoque ab eo singillatim non proponuntur.

(226) « Per hec verba *credimus* prohiberi sub precepto, qui necessitate non coguntur, portare calceamenta » (*Relatio commissionis*, p. 161).

(227) « Hic indici *credimus* fratribus sub precepto ieiunium quadragesimale et sexte ferie » (*Ib.*, p. 161).

(228) « Ad hanc curam teneri *credimus* ex vi precepti ministros et custodes » (*Ib.*, p. 161).

(229) « Et hoc *credimus* equipollere precepto » (*Ib.*, p. 161).

(230) « Hoc *reputamus* preceptum vel equivalens precepto » (*Ib.*, p. 162).

(231) « Hoc *reputamus* equipollere precepto prohibitorio » (*Ib.*, p. 162).

(232) « Hoc *reputamus* habere vim precepti prohibitorii » (*Ib.*, p. 162).

ne (233), de recursu pro regulae spirituali observatione (234); aliquando tamen quatuordecim commissionis doctores non omnimode concordabant ideoque solutio difficilior evadebat, ut in praescriptionibus de numero tunicarum (235), de vestimentis vilibus induendis (236), de equitatione (237), de labore (238), de paenitentia a ministris cum misericordia imponenda fratribus peccatoribus (239).

Clemens V, ex una parte mitiores amplectitur sententias, cum contra doctorum mentem non admittat ut praecepta regulae specifica: laborem a fratribus faciendum (c. 5), paenitentiam a ministris imponendam (c. 7), fratrum visitationem et correctionem (c. 10), licentiam a fratribus petendam et idoneis elargiendam ad missiones adeundas (c. 12); ex alia vero parte regulae rigorem et puritatem etiam in hoc argumento tenet diversis modis: aut superaddens, contra peritorum sententiam, aliquod praeceptum (recitationem officii divini) (c. 3); aut admittens simpliciter, duobus casibus exceptis, omnia quae doctores *credunt* aut *reputant* tantum illa esse praecepta, quaeque plura sunt; aut proponens ut praecepta illa in quibus concurs non erat peritorum doctrina.

Ex omnibus quae hucusque diximus de immediato obligationum regulae fundamento, de sententia securiore sequenda et de bullae particularibus solutionibus, liquido apparet Clementem V, pacem et ordinis tranquillitatem desiderantem et viam mediam theoretice anhe-

(233) « Hoc credimus equipollere precepto » (*Ib.*, p. 162).

(234) « Hec verba credimus equipollere preceptis » (*Ib.*, p. 162).

(235) « Hic intelligimus ex vi precepti statui formam habitus et prohiberi usum plurium tunicarum, nisi... Unus vero magistrorum sentit quod non cadat sub precepto numerus tunicarum » (*Ib.*, p. 161).

(236) « Verba ista credimus, tribus magistris exceptis, habere vim precepti. Dictorum autem magistrorum duo contrarium sentiunt, tertius vero dubitat » (*Ib.*, p. 161).

(237) « Verba ista reputamus omnes, excepto uno magistro, habere vim precepti prohibitorii » (*Ib.*, p. 161).

(238) « Hoc verbum credimus, duobus tantum magistrorum exceptis, habere vim precepti » (*Ib.*, p. 161).

(239) « Haec equipollent precepto secundum opinionem maioris partis nostrum » (*Ib.*, p. 162).

lantem, generaliter rigidioribus inhaerere sententiis, ut ipsemet affirmat aperte antequam aequipollentia enumeret praecepta, « ad observandam puritatem Regulae et rigorem » (n. 3).

Ideo duodecim aequipollentia praeceptis proponuntur non ad regulam observandam, sed ad regulae puritatem aut rigorem custodienda, ideoque, ut videtur, illa sunt observanda *ut praecepta*, si fratres non regulam tantum (ad quam omnes tenentur), sed regulae *rigorem* (ad quem sub peccato mortali non obligantur) velint observare. Non est ratio cur hic immoremur in distinctione, omnino peragenda, inter regulam et regulae puritatem, inter regulam et regulae rigorem.

2. — *Expedit*. Sed romanus pontifex, suarum decisionum de praeceptis aequipollentibus momentum non ignorans, dum doctrinam rigidioris et securioris fratribus proponit, duo clare animadvertit, videlicet, illa non esse absolute praecepta, et expedire ut ea ac si essent talia considerentur.

Profecto, antequam aequipollentia praeceptis singillatim enumeret, non affirmat absolute haec, ex vi verbi, ex materia vel ex utroque, esse simpliciter praecepta, sed tantum: « quae *videri possunt* aequipollentia praeceptis » (n. 4); et supra: « ad ea *sicut ad aequipollentia* praeceptis se noverint obligatos » (n. 3); et infra, post praeceptorum enumerationem: « haec, inquam, omnia sunt a Fratribus *tanquam* obligatoria observanda » (n. 5).

Sed et amplius habetur. Clemens V, praecepta aequipollentia fratribus proponens, illa non imponit ut necessario ad praxim sub gravi deducenda, sed tantum fratres animadvertit *expedire* eos se, ut obligatos ad ea, agnosci, quod est maximi momenti in hoc argumento. Cum enim Clemens V partem securioris amplecti velit et nihilominus religiosi tantum *suadeat* (*expedit*) observanda ut praecepta illis aequipollentia infra ab eo recensita, certo certius ex hoc erui potest ex bulla *Exivi de paradiso* non constare aequipollentia esse praecepta certa, ideoque in praxi fratres illis sub gravi non teneri.

Verbum *expedit*, in decretali positum, magis est perpendendum, si factum paucis abhinc annis ignotum consideremus, scilicet, illud non adhibuisse commissionis doctores ad bullam praeparandam ele-

ctos, de argumento loquentes, etsi in alia omnino materia hoc termino usi sunt.

Relatio commissionis

« Et quia in dubium revocatur, que sint illa que in dicta Regula exprimuntur vel includuntur, et nos id *expedire* credimus declarari, ea hic duximus inserenda » (240).

Bulla « Exivi de paradiso »

« Dicimus quod licet Fratres non ad omnium quae sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula... teneantur, *expedit* tamen ipsis Fratribus... quod ad ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos » (n. 2s.).

Verbum *expedit*, in relatione commissionis ad obligationum *coognitionem* sese refert; in bulla autem, ad illarum *observantiam*. Non potest dici decretalem non curare de terminis vel verbis, cum hoc, ex iam dictis, non sit verum.

Immo quae dicimus amplius demonstrantur, si ad bullae *Exivi de paradiso* accuratam praeparationem mentem revocemus. Ipsemet romanus pontifex affirmat ad documentum redigendum se plures archiepiscopos, episcopos, in theologia magistros et alios doctores consultasse (241), ut partim iam constat ex bulla *Dudum ad apostolatus* (14 apr. 1310), in qua religiosi et cardinales a Clemente V primo vocati ad negotia fratrum pertractanda sunt recensiti (242), et melius adhuc ex decretali *Magister gentium* (21 mai 1312), fratribus minoribus in capitulo generali Barcinone proxime congregandis directa, in qua romanus pontifex de laboribus factis et de viris sibi adscitis tam ante quam in concilio viennensi loquitur (243).

Haec pontificis testimonia non fuisse sine fundamento prolata, ex aliis fontibus hodie scimus. Commissio a Clemente V designata ad bullam praeparandam quatuordecim constabat membris, inter quos

(240) *Relatio commissionis*, p. 160.

(241) *Exivi, Prologus*, n. 3, p. 232.

(242) CLEMENS V, *Dudum ad apostolatus* (14 apr. 1310), in BF V, p. 65b-68a.

(243) CLEMENS V, *Magister gentium* (21 mai 1313), in BF V, p. 93b-95a.

aderant quatuor archiepiscopi, tres episcopi, sex in theologia magistri, unus in iure civili peritus (244). Qui omnes scripta sive a communitate sive a fratribus spiritualibus redacta examinarunt. Et cardinalis Iacobus de Columna, in quadam epistola die 27 februarii 1316 subsignata, asserit has circa regulam discussiones ultra triennium perdurasse, et eisdem plures cardinales, archiepiscopos, episcopos, iuris utriusque peritos, in theologia magistros participasse, ita ut non recorderetur aliud negotium a curia romana emanasse tanta cum maturitate (245).

Ex his Clementis V et aliorum testimoniis eruitur decretalem *Exivi de paradiso* eximia cum cura et post longum diversarum sententiarum examen per triennium protractum esse redactam, ideoque omnia in ea contenta esse attente examinata et decisa. His igitur consideratis, non possumus hodie ex bulla admittere aequipollentia esse praecepta certa, cum proposita sint ut conclusio ex principio quod hodie pro falso habetur, videlicet, in rebus moralibus partem securiorem esse tenendam; cum illa memorentur non ad regulam, sed ad regulae rigorem observandum; cum non imponantur ut praecepta, sed tantum suadeantur. Sed si aequipollentia non sunt praecepta certa, hodie procul dubio non obligant nec ex regula nec ex decretali ut talia, quamvis fratres eorundem observantiam totis viribus amplecti debeant.

(244) *Relatio commissionis*, p. 158, 146-149.

(245) « Et preterea per plus quam triennium hec duravit examinatio, cum tanto pondere et cum occupatione ad hec tam solemnium personarum dominorum cardinalium plurium et successivis vicibus subrogatorum, quorum nos aliquando quantum ad aliqua fuimus unus, et dominorum archiepiscoporum et episcoporum solemnium in concilio iuris utriusque doctorum et multorum magistrorum in theologia diversorum statuum, quod non meminimus iam est dudum aliquod negotium cum maiori vel tanta maturitate a Romana Curia emanasse. Tandem de predictorum consilio facta es declaratio super regulam, quam sacro approbante concilio, postmodum correctam et examinatam nobis presentibus in solemnii consistorio publico in Avinione, presentibus fratribus utriusque partis, solemniter publicavit » (IACOBUS DE COLUMNA, *Fraterne caritatis* (27 febr. 1316) (ed. L. OLIGER, in *AFH* 16 [1923] p. 351s.).

3. — DE HODIERNA PRAECEPTORUM AEQUIPOLLENTIUM OBLIGATIONE

Sed potest quis interrogare: quid hodie dicendum de praeceptorum aequipollentium obligatione? Hic non agimus de fundamentali questione circa hodiernam praeceptorum regulae sub gravi existentiam. Tantum de aequipollentibus loquimur.

a) *Duo facta perpendenda*

Primum. Bulla Clementis V, una cum decretali *Exiit qui seminat* Nicolai III, fundamentum constituit rectae interpretationis regulae franciscanae. Decursu temporis, romani pontifices permultas de ea promulgarunt decretales, inter quas eminent bullae *Quo elongati* (28 sept. 1230) Gregorii IX, *Ordinem vestrum* (14 nov. 1245) et *Quanto studiosius* (19 aug. 1247) Innocentii IV, *Voluntariae paupertati* (5 nov. 1274) Gregorii X, *Exultantes in Domino* (18 ian. 1283) Martini IV, *Quorundam exigit* (7 oct. 1317) Ioannis XXII, *Amabiles fructus* (1 nov. 1428) Martini V, *Sacrosanctum apostolatus* (1 oct. 1625) Urbani VIII et *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) Innocentii XI (246). Sed decretales *Exiit qui seminat* et *Exivi de paradiso* sunt earum principalissima et velut specimen obligationum iuridarum in regula contentarum. Ideo non est mirandum si ordinis constitutiones aetatis antiquae (247), mediae (248) et modernae (249) pro-

(246) Cf. F. ELIZONDO, *Pontificiae interpretationes regulae franciscanae usque ad annum 1517*, in *Laurentianum* 1 (1960) 324-358; Id., *Bullae « Quo elongati » Gregorii IX et « Ordinem vestrum » Innocentii IV*, in *Laurentianum* 3 (1962) 349-394; Id., *Bulla « Exiit qui seminat » Nicolai III (14 augusti 1279)*, in *Laurentianum* 4 (1963) 59-119; URBANUS VIII, *Sacrosanctum apostolatus* (1 oct. 1625) (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. I, Neapoli 1650, p. 674ab); INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) (ed. *Monumenta selecta iuris regularis*, Ad Claras Aquas 1913, p. 59-64).

(247) Cf., v. gr., statuta assisiensia an. 1316, c. 3, n. 1 (ed. A. CARLINI, in AFH 4 [1911]) p. 279; statuta caturcensia an. 1337, c. 3, n. 1 (ed. M. BIHL, in AFH 30 [1937]) p. 131; statuta lugdunensia an. 1351, c. 3, n. 1 (ed. M. BIHL, loc. cit.) p. 161; statuta farineriana an. 1354, c. 3, n. 1 (ed. M. BIHL., in AFH 35 [1942]) p. 58.

(248) Cf., v. gr., statuta capituli toletani an. 1606 (ed. *Chronologia histo-*

clament regulae observantiam iuxta Nicolai III et Clementis V principia imprimis affirmari debere. Immo et non semel romani pontifices eandem viam proponunt (250). Legislationis commentatores ad has pontificias declarationes saepissime convolant, hoc statuentes principium, videlicet, se velle regulam exponere praecipue iuxta Nicolai III et Clementis V doctrinam (251). Ex his omnibus eruitur ordinem franciscanum semper voluisse sententias horum pontificum amplecti,

rico legalis, vol. I, Neapoli 1650) p. 527b; statuta capituli romani an. 1612 (editio citata) p. 538b; statuta capituli toletani an. 1633 (editio citata) p. 692a; statuta capituli vallisoletani an. 1670 (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. II, Venetiis 1718) p. 119a; statuta sambucana an. 1663, c. 4 (editio citata, appendix) p. 22a; *Constitutioni de' frati minori cappuccini dell'Ordine di S. Francesco*, Venezia 1577, c. 1 (Cf. *Le prime Costituzioni ...*, Roma 1913, p. 40); *Constitutiones fratrum minorum sancti Francisci capuccinorum*, Romae 1638, c. 1, p. 6; *Constitutioni de' frati minori capuccini di S. Francesco*, Roma 1643, c. 1, p. 6.

(249) Cf., v. gr., *Statuti e costituzioni generali della famiglia cismontana dei minori riformati dell'ordine di S. Francesco*, Quaracchi 1890, c. 1, n. 1, p. 27; *Regula et constitutiones generales fratrum minorum*, Romae 1897, c. 1, § 1, n. 2s., p. 3; *Regula et constitutiones generales ordinis fratrum minorum*, Romae 1953, art. 1, p. 1; *Constitutiones fratrum minorum S. Francisci capuccinorum*, Romae 1909, c. 1, n. 3, p. 22; *Constitutiones fratrum minorum capuccinorum*, Romae 1926, c. 1, n. 3, p. 34.

(250) Cf., v. gr., CLEMENS VII, *In suprema militantis* (16 nov. 1532) (ed. L. WADDINGUS, *Annales minorum*, ed. 3, vol. XVI, Ad Claras Aquas 1933) p. 380; URBANUS VIII, *Sacrosanctum apostolatus* (1 oct. 1625)) (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. I) p. 674a; INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) (ed. *Monumenta selecta iuris regularis*, Ad Claras Aquas 1913) p. 60.

(251) Cf., v. gr., ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio*, quaestio introductoria 5s., p. 28s., 32; ANTONINO DA PATTI, *Considerationi et espositioni sopra tutti li precetti della regola de' frati minori*, Venetia 1615, consideratio 4, p. 66s.; P. MARCHANT, *Expositio literalis in regulam S. Francisci iuxta declarationes summorum pontificum Nicolai III et Clementis V*, Antuerpiae 1631; P. NAVARRO, *Exposición de la regla de N. seráfico P. san Francisco*, Madrid [1641], quaestio proemialis 6, p. 23; LEANDRO DE MURCIA, *Questiones selectas regulares y exposición sobre la regla de los frailes menores*, Madrid 1645, cap. 2 super cap. 1 regulae, p. 6b-7a; LOUIS DE PARIS, OFM. Cap., *Exposition littéraire de la règle des FF. mineurs, selon l'intention de l'instituteur... conforme aux déclarations des souverains pontifes Nicolas III et Clement V*, Paris 1623; BERNARDO DA BOLOGNA, *Lezioni sopra la regola dei frati minori di S. Francesco*, Bologna 1764, c. 1, lectio 1, § 2, p. 2b-3b; VIATORE DA COCCAGLIO, *Tracce di tradizione sopra la regola de' frati minori*, Venezia 1780, prologus, p. Vs.

ideoque illas, donec aliud a competente auctoritate praescribatur, iuridice constituere viam rectam interpretationis regulae.

Secundum factum non minoris est momenti. Multi legislationis franciscanae expositores sententiis rigidioribus non semel adhaeserunt cum practicas quaestiones dilucidare intenderent, ut patet, v. gr., ex considerationibus quas faciunt ad principia stabilienda de ieiuniorum dispensatione vel excusatione, de causis pro equitatione, de plurium vestimentorum concessione... Inter eos non desunt qui autumant maiorem causam requiri ut aliquis se putet a ieiuniis regulae excusatum quam a ieiuniis ecclesiasticis (252); alii affirmant fratres laicos, in suo sacro officio persolvendo, teneri sub praecepto ad recitationem orationis angelicae (253); alii dicunt fratrem per noctem sine habitu dormientem mortaliter peccare (254); alii volunt addere praecepta, ut sic relaxationes et peccata melius evitentur et regula melius observetur (255); alii permittunt calceamenta « si adsit frigus insolitum et ita vehemens, ut nudis pedibus sustineri vix possit, vel si via qua incedendum est ita sit vel nive conspersa, vel luto repleta, vel spinis consita, ut quolibet fere gressu his sandalia repleantur » (256). Silere oportet de distinctionibus, subdistinctionibus et contradistinctionibus circa pecuniae contrectationem. Nec obliviscenda etiam ea quae in prima parte huius articuli diximus de fratrum laicorum officio et de quadragesima maiori, quae constituunt casus speciales strictae interpretationis regulae franciscanae.

(252) P. MARCHANT, *op. cit.*, c. 3, tit. III, q. 3, p. 175.

(253) IOANNES DE ARGOMANES, *Speculum fratrum minorum* (ed. *Enchiridion seu manuale fratrum minorum* [Hispani 1535] fol. 30r-50v) fol. XXXIr.

(254) [JOSÉ CALASANZ DE LLEVANERAS, OFM. Cap.], *Catecismo de N. S. Regla*, Roma 1890, c. 18, p. 84s. Cf. ALBERTUS A BULSANO, *Expositio regulae FF. minorum S. P. Francisci assis.*, Mediolani 1889, c. 2, § 30, p. 106.

(255) Cf. F. LUENGO, OFM., *Controversiae viginti quinque super regulam fratrum minorum*, Compluti 1642, controversia prooemialis 2, p. 37ab. « Sit prima conclusio. Tam malum et periculosum est diminuere praecepta dicendo non obligare ea quae realiter obligant, sicut ipsa augere fingendo praecepta ubi non sunt. Propter quod ita sunt regulae transgressores minuentes sicut sunt transgressores addentes » (*Ibid.*, p. 35b-36a).

(256) ALBERTUS A BULSANO, *op. cit.*, c. 2, § 31, p. 109 (ed. Romae 1932, c. 2, n. 130, p. 209).

Ut aliquod in specie huius strictae mentalitatis exemplum afferamus, Gundisalvum Hispanum praesentamus, ex eo quod suo brevi tractatu permagnum exercuit influxum. Difficile dictu est quomodo, post bullam *Exivi de paradiso*, in qua Clemens V tam caute et ponderate de aequipollentibus locutus est praeceptis, hic auctor, tunc temporis ministerium ordinis generale gerens, possit augmentare eorundem numerum, superaddens illis quae romanus pontifex recensuerat, mandata de ieiunio quadragesimae maioris et de officio laicorum; immo et quomodo possit affirmare, contra bullam *Exivi* explicitè loquens, duodecim aequipollentia praecepta, a Clemente V ex regula collecta, ponderata et enumerata, « *sine dubio* » sub gravi obligare (257). Haec vero Gundisalvi sententia ab omnibus fere expositoribus est admissa; omnes enim, ad probandam gravem praeceptorum aequipollentium *certam* obligationem, explicitè vel implicitè ad bullam *Exivi de paradiso* convolant, ubi, ut vidimus, hoc nullo modo proponitur. Ita, immediate post decretalem Clementis V, habetur sententia quae non tantum explicat regulam (ut debet fieri), aut regulae rigorem (ut hic romanus pontifex fecit, sub consilio tamen), sed regulae strictissimam observantiam, cui vero iuridice nemo tenetur.

Conclusio. Ex duobus factis a nobis recensitis, putamus hoc posse stabiliri principium: iuridicam regulae expositionem redigi debere, ut omnes theoretice asserunt (romani pontifices, constitutiones ordinis et doctores), iuxta decretalium *Exiit qui seminat* et *Exivi de paradiso* doctrinam. Sed cum Clemens V non loquatur de praeceptis aequipollentibus sub gravi certe obligantibus, iuridica regulae interpretatio, bulla huius romani pontificis innisa, non potest admittere haec mandata ut praecepta sub gravi certe obligantia; igitur in praxi non sunt acceptanda.

(257) « Secundo, in regula sunt quaedam alia quae non sunt praecepta formaliter, sed tamen sunt praeceptis aequipollentia, et de talibus sunt in regula numero XII, quae papa Clemens in regulae declaratione de ipsa regula collegit, ponderat et numerat, *quorum transgressio sine dubio est mortalis* » (GUNDISALVUS HISPANUS, *Tractatus de praeceptis*, fol. 71rab).

b) *Difficultates*

Non ignoramus nostram sententiam diversis laborare difficultatibus, quas investigatoribus proponimus, quaeque practice duae sunt: 1) ordinis contraria traditio seu consuetudo; 2) bulla *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) Innocentii XI.

I. — *Ordinis traditio seu consuetudo*. Hodie, dicitur, praecepta aequipollentia obligant sub gravi saltem ex ordinis traditione seu consuetudine, cum omnes regulae commentatores, post bullam clementinam, hoc semper admiserint. Factum, ut antea exposuimus, non potest negari. Sed, prout nobis videtur, nihil probat.

Primo, argumenta ab auctoribus allata ad gravem praeceptorum aequipollentium obligationem asserendam, solidis carent fundamentis, cum reducuntur ad clausularum bullae *Exivi de paradiso* explanationem; sed in hac decretali nec theoretice nec pro praxi affirmantur hae graves obligationes. Ordinis consuetudo anteclementina de hac materia iuridice non est admittenda, cum romanus pontifex documentum promulgavit ut magnis super hoc discussionibus finem poneret.

Secundo, si ex decretali *Exivi de paradiso* nihil probatur, remanet tantum nuda ordinis traditio seu consuetudo, quae semper hoc sensu documentum intellexit. Sed etiam dicendum est hanc contra legem seu bullam rigorosam interpretationem non posse sustineri, cum hic non agatur de vera iuridica consuetudine, ex qua secundum, praeter vel contra legem aliquid fit. Etenim fratres minores *ex regula* debent adimplere mandata sic dicta aequipollentia (de hoc nullum dubium) et practice semper observarunt; hoc tamen non est consuetudo, sed nuda et simplex legis observantia. Nostra quaestio est alia, utrum, videlicet, obligatio *sub gravi* ex consuetudine possit affirmari. Et videtur negative respondendum, cum hic non agatur de aliquo facto a communitate multoties repetito ad legem derogandam vel determinato sensu adimplendam; sed de auctorum vel fratrum sententia circa regulae articulorum obligationem; sententia admittenda vel non, prout sunt argumenta ad eandem probandam allata.

Immo, etsi de vera consuetudine ageretur, non est hodie amplius amplectenda, cum ad eam stabiliendam necesse sit, iam a tempore

decretalium, ut communitas scienter et voluntarie sese obligare intendat (258). Et non potest dici fratres scienter voluisse ad haec praecepta aequipollentia sese obligare, cum contrarium ex regulae commentariis constet, scilicet, rigidiorem hanc sententiam esse amplexos, non ad stabiliendam gravem consuetudinem, sed quia putarunt illam a Clemente V esse declaratam et eis iuridice impositam. Fundamentum vero huius doctrinae non potest admitti; ergo nec eiusdem conclusio.

2. — *Bulla « Sollicitudo pastoralis » Innocentii XI.* Secunda difficultas, ex bulla *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679) Innocentii XI proveniens (259), maioris est momenti.

Romanus pontifex testificat fratres minores « de corpore observantiae » (id est, observantes, reformatos, discalceatos et recollectos) nullam admittere regulae dispensationem et velle legislationem pure observare iuxta declarationes pontificias in constitutionibus admissas; deinde approbat et confirmat « motu proprio, ac ex certa scientia » religiosorum protestationem, « deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium *declaramus*, omnes et singulos Fratres de corpore Observantiae dicti Ordinis *teneri in conscientia* observare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, et praecepta a fel. rec.

(258) Cf., v. gr., HENRICUS DE SEGUSIO, CARDINALIS HOSTIENSIS, *Summa Aurea*, Torino 1963 (reimp. ed. Venetiis 1574) liber I, De consuetudine, col. 80, 89s.; ABBAS PANORMITANUS, *Commentaria in primum decretalium librum*, Venetiis 1571, liber I, De consuetudine, fol. 121ra, 124ra; E. PIRHING, S.I., *Ius canonicum in V libros decretalium*, vol. I, Venetiis 1759, liber I, titulus 4, sectio 1, n. 24ss., p. 61b-62a; L. ENGEL, OSB., *Collegium universi iuris canonici*, Venetiis 1742, liber I, titulus 4, De consuetudine, p. 24b; F. DE CASTRO PALAO, S.I., *Operis moralis... pars prima*, Lugduni 1656, tractatus 3, disputatio 3, punctum 2, § 3, n. iis., p. 141b-142b; P. LAYMANN, S.I., *Theologiae moralis in quinque libros partitae... tomus primus*, Venetiis 1726, liber I, tractatus 4, c. 24, p. 83ab; A. VAN HOVE, *De consuetudine. De temporis supputatione*, Mechliniae-Romae 1933, n. 114-118, p. 107ss.; n. 131-138, p. 120-126.

(259) INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis* (20 nov. 1679). Utimur editione adhibita in libro *Monumenta selecta iuris regularis*, Ad Claras Aquas 1913, p. 59-64. Alia editio recentior in B. PANDŽIĆ, OFM., *Annales minorum*, vol. 32, Romae 1964, p. 426-429.

Nicolao III et Clemente V Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, exposita et numerata, ad normam Constitutionum praedictarum respective » (260). Haec regulae de praeceptis declaratio ita firma est ut Innocentius XI statuatur nullum recipi posse in ordine « nisi prius plene informatus sit de praedictis praeceptis Regulae obligantibus *in conscientia*... et... coram Communitate fiat ei protestatio, quod ad observantiam Regulae cum omnibus eius praeceptis, tunc enumerandis et exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, et sub ea professionem faciat » (261).

Romanus pontifex non loquitur explicitè de obligatione in conscientia *sub gravi*, sed si doctrina auctorum illius temporis circa praeceptorum gravem obligationem perpendatur, sive religiosorum concors de hac re sententia consideretur, sive statuta sic dicta sambucana anno 1663 promulgata in mentem revocentur, videtur serium iuridicum studium non posse negare decretalem Innocentii implicate loqui de *gravi* praeceptorum obligatione. Profecto, in introductione

(260) Et sequitur: « Et signanter praeter praecepta, quae non ita frequenter occurrunt, et recitationem Divini Officii, teneri ad ieiunia praecepta in Regula, nisi excuset necessitas; ad incedendum sine calceamentis, hoc est absque aliquo, quod pedem cooperiat, cuiuscumque illud materiae sit, nisi adsit vera necessitas a Praelato approbanda; ad non equitandum, nisi infirmitas vel necessitas, iudicio Superiorum probata, excuset; ad vilitatem vestium iuxta praedictas Constitutiones respective; ad non utendum pluribus vestimentis, quam illis, quae Regula praescribit, nempe una tunica cum caputio, et alia sine caputio, chorda et femoralibus: nam aliud quodvis vestimenti genus ultra praedicta (excepto mantello ab initio Religionis licito) et indusia, seu camisiae, sudariola, tunicellae et similia sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans a praecepto per Praelatum approbata; ac demum teneri ad capitale praeceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per se, vel per interpositam personam » (*Ibid.*, p. 60).

(261) *Ibid.*, p. 61. Et paulo antea: « Ac propterea omnes et singulas dispensationes, concessionem et consuetudines, si quae contra praemissa in corpore Observantiae Ordinis praedicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus earumdem tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuumus, ac revocatas, cassatas et nullas, viribusque et effectu penitus et omnino vacuas esse et perpetuo fore decernimus et declaramus » (*Ibid.*, p. 61). Videtur tamen hoc referendum esse ad dispensationes, concessionem et consuetudines contra praeceptum pecuniam non recipiendi.

statutorum Sambucae, a romano pontifice in bulla explicitè memoratorum, singillatim proponuntur praecepta « aequipollentia, ex declaratione Clementis V obligantia ad mortale » (262).

Sed si admittatur Innocentium XI declarasse regulae praecepta sub gravi obligare, quomodo solvuntur difficultates?

Imprimis, romanus pontifex loquitur de obligatione in conscientia observandi: 1) regulam, 2) praecepta enumerata a Nicolao III et Clemente V, 3) in specie nonnulla, inter quae plura mandata aequipollentia et capitale praescriptum de denariis non recipiendis. Nulla difficultas in prima quaestione, cum Innocentius asserit regulam (in genere) obligare in conscientia, tunc enim temporis non parum de argumento disputabatur (263). Videtur etiam non magnam difficultatem constituere sententia romani pontificis, seiunctim sumpta, circa Nicolai III et Clementis V praecepta, cum illa ad Clementis V principia trahi possit. Sed vera difficultas habetur in tertia quaestione, vel, si mavis, in secunda mixta cum tertia, videlicet, cum Innocentius XI declaret fratres minores « teneri in conscientia observare... et signanter praeter praecepta, quae non ita frequenter occurrunt, et recitationem Divini Officii, teneri ad ieiunia praecepta... ».

Sed hic quaeritur utrum his verbis romanus pontifex voluerit revera imponere novum ius vel tantum id quod a fratribus admittebatur sollemniter consolidare. Et nobis videtur Innocentium XI non voluisse novum ius imponere, cum ex bullae exordio et ex statutis generalibus in decretali recensitis (264), constet fratres voluisse regulam observare iuxta Nicolai III et Clementis V declarationes, sine ulterioribus dispensationibus, concessionibus et consuetudinibus eisdem contrariis; quod et decretalis *Sollicitudo* proclamat. Hoc magis demonstratur, si circumstantiae circa paupertatis inobservantiam, ex

(262) *Statuta generalia Sambucae*, Romae 1663 (ed. *Chronologia historico-legalis*, vol. II, appendix, Venetiis 1718) *Summarium praeceptorum*, p. 5b.

(263) Cf. C. MAZON, S.I., *Las reglas de los religiosos*, Romae 1940, p. 212-234, 266-291.

(264) INNOCENTIUS XI, *Sollicitudo pastoralis*, p. 59. Vide notam 248.

quibus bulla originem duxit, perpendantur (265). Ideo hoc documentum magis ad regulae observantiam quam ad eiusdem obligationem respicit.

Ex alia parte, omissio termini *sub mortali* forsitan expresse facta est, quia illo tempore permagnaerant disceptationes de moralibus systematibus (266). Si decretalis verba « *teneri in conscientia* » intelligenda sunt *sub gravi*, non facile explicatur quomodo fratres minores, ultra Nicolai III et Clementis V praecepta, debeant regulam *sub gravi* observare; nam romanus pontifex, ut diximus, loquitur de observatione (*in conscientia*) 1) regulae, 2) praeceptorum Nicolai III et Clementis V, 3) nonnullorum mandatorum in specie.

Insuper, secundum plurium eorumque optimorum auctorum doctrinam, pontificiae regulae declarationes novas non imponunt obligationes, sed tantum quae ex regula exstant interpretantur, ita ut in eisdem nihil ultra legislationem praecipiat (267), quod est admitendum saltem quoad novas *sub gravi* obligationes imponendas. Profecto, si praecepta aequipollentia *sub gravi* non obligabant usque ad decretalem Innocentii XI, nobis videtur ex hac bulla nullo modo posse illam sustineri obligationem (268).

(265) Cf. B. PANDŽIĆ, *Annales minorum*, vol. 32, Romae 1964, ad annum 1679, p. 430-436.

(266) Cf. TH. DEMAN, *Probabilisme*, in *Dict. théol. cath.*, ad verbum, col. 463-558.

(267) V. gr., ANTONIUS DE CORDUBA, *Expositio*, quaestio introductoria 6, p. 33s.; c. 10, q. 3, p. 510-514; F. ORTIZ, OFM., *Compendium declarationum*, ed. 2, Matriti 1585, fundamentum 5, fol. 70v-71r; P. MARCHANT, *Expositio literalis in regulam S. Francisci*, Antuerpiae 1631, quaestio prooemialis 6, p. 30s.; c. 10, p. 566s.; F. LUENGO, *Controversiae viginti quinque super regulam fratrum minorum*, Compluti 1642, controversia prooemialis 2, p. 29b-30a; c. 10, controversia 23, p. 547a-548a; SANTI THESAURO ROMANO, *Esposizione sopra la regola del serafico padre S. Francesco*, Roma 1614, c. 4, p. 252ss. (dubitativa); CYPRIANUS CROUSERS AB ANTUERPIA, *Lectiones paraeneticæ ad regulam seraphici patris S. Francisci*, Coloniae Agrippinae 1625, c. 1, lectio par. 2, p. 45s.; LEANDRO DE MURCIA, *Questiones selectas regulares y exposición sobre la regla de los frailes menores*, Madrid 1645, cap. 4 super c. 4 regulae, p. 211a-212a; BERNARDO DA BOLOGNA, *Lezioni sopra la regola dei frati minori di S. Francesco*, Bologna 1764, c. 1, lectio 1, § 2, p. 2b-3b.

(268) Idem dicendum de ordinis constitutionibus in forma specifica a sancta sede approbatis, si in iisdem recenseantur regulae praecepta *sub gravi* obligantia.

Haec sunt quae ex nostra de praeceptis aequipollentibus elucubratione possumus stabilire principia.

Videntur esse admittenda ut regulae franciscanae specifica praecepta ea tantum quae particularis imponit legislatio, non vero mandata iam praescripta a iure divino aut a iure ecclesiastico saeculi XIII et a regula minoritica recensita. His in casibus, titulus iuridicae obligationis non est proprie legislatio particularis, sed ius divinum vel ecclesiasticum. Hoc principium applicatur omnibus regulae praeceptis: eminentibus seu expressis, virtualibus et aequipollentibus.

Possunt admitti ut praecepta aequipollentia ea tantum quae Clemente V singillatim sunt enumerata, non alia. Ideoque ieiunium quadragesimae maioris et recitatio officii fratrum laicorum non sunt praecepta aequipollentia, utpote quae a romano pontifice, qui in suis decisionibus sententiam securiorem et rigidiorem amplectitur, non sint enumerata.

Gravis obligatio praeceptorum aequipollentium, ab omnibus fere expositoribus ex bulla *Exivi de paradiso* admissa, revera non constat in hac decretali. Immo, ordinis de argumento traditio, quae ad probandam gravem praeceptorum aequipollentium naturam semper ad decretalem *Exivi de paradiso* convolat, hodie, ut videtur, non potest amplius sustineri. Igitur, cum gravis horum mandatorum obligatio non sit certa, in praxi potest illa non admitti.

Postremo, ex accurata de praeceptis aequipollentibus inquisitione probatur, ut putamus, necessitas scientifica investigationis de existentia, fontibus obligationis et natura iuridica praeceptorum regulae franciscanae, cum hodierna iuris canonici et theologiae moralis principia circa existentiam, naturam et materiam gravem praeceptorum ecclesiasticorum non semel sint diversa ab illis quae saeculis XIII-XIV proclamabantur. Non possunt amplius simpliciter admitti sententiae ab auctoribus saeculorum XIII-XIV propugnatae, quin prius scientifica de eisdem instituatur investigatio.